

Dissertatio historico-moralis de capillis / [Rudolf Andreas Jaeger].

Contributors

Jaeger, Rudolf Andreas.
Scheinemann, D.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : J.C. Reis, 1695.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bpj79z3t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO HISTORICO-
MORALIS

De

CAPILLIS,

Quam

Auxiliante DEO

PRÆSIDE

DAVIDE Scheinemann / U. J. D.
& Moral. Prof.

*Pro Summis in Philosophia Honoribus
legitimè impetrandis,*

Eruditorum Examini decenter
submittit,

RUDOLPHUS ANDREAS Jäger / Ulmens.
SS. Theol. Stud.

In Auditorio Philosophorum æstivo

ad d. Septembr.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-CONRADI REISL.
Anno MDCXCV.

VIRIS,
Magnificentia, Summè Reverendâ Di-
gnitate, Nobilitate, Excellentia, Experientia, omni-
genâ Eruditione, Polyhistoria, rerum gestarum Claritate, Fide, Can-
dore, Dexteritate, variorumque munerum Decore
oppidò Conspicuis.

85527
DN. ELIÆ VEIELIO, SS. Theol. { Laudatissimo-
 Doctori, ejusdemque Professori longè la- rum Stipen-
 tèreque Celebratissimo, Ecclesiarum Ulma- diorum Stæh-
 narum Superattendenti optimè Merito leriani, Loche-
 & adhuc benemerenti, Illustris Gymnasii riani, Rothia-
 Patrii Directori Gravissimo. ni &

DN. JOH. JACOBO OTTONI, {
 U. J. Doctori, S. Pal. Later. Comiti, Incly-
 tæ Reipubl. Ulmenfis Consiliario Gra-
 vissimo. }

DN. VITO RIEDLINO, Phil. & Med.
 D. Famigeratissimo, Physico Augustano
 longè Felicissimo, Illustris Collegii Natur.
 Curios. Collegæ Spectatissimo.

DN. M. DAVIDI GEIGERO, Verbi
 Divini in Templo Summo Vigilantissimo.

DN. M. EBERHARDO RUDOL- { Roggenbur-
PHO ROTHIO, in Patrio Gymnasio Re- giani Admini-
 ctori, Log atque Histor. Professori, Avun- stratoribus Fi-
 culo suo Honoratissimo. diffimis, juxta
 & Beneficen-
 tissimis.

DN. JOH. GEORGIO HZENEN
 Mercatoriae Tribus Præposito maximè
 Spectabili.

DN.



DN. HELVICO DIETERICO, Redituum
Ecclesiasticorum Curatori Fidelissimo.

DN. JOH. ULRICO CRAMERO, Ta-
bularum Publicarum Scribæ, & Circuli
Suevici Receptori Dexterrimo.

DN. M. RUDOLPHO ROTHIO, Pastori
Altheimensi meritissimo, Cognato suo
Colendissimo.

DN. M. JOH. PAULO ROTHIO, Pastori
Wainensi Vigilantissimo, Cognato iti-
dem suo plurimum æstimando.

DN. FRIDERICO HAZEBRONNER
Mercatori Florentissimo.

DN. HIERONYMO CHRISTIANI, Phar-
macopolæ Peritissimo.

DN. JOH. JACOBO ANDREÆ, Negotiatori
Augustano Fortunatissimo, Cognato suo
plurimum Dilecto.

DN. PHILIPPO ANDREÆ JÆGERO,
Negotiatori, Parenti Optimo.

*Dominis suis Patronis, Evergetis,
Fautoribus, & Cognatis*

HANC DISSERTATIONEM HISTORICO-MORALEM
de CAPILLIS

*in sui suorumq; studiorum ulteriorem commendationem
humillimè offert & consecrat*

RUDOLPHUS ANDREAS JÆGER,
Respondens.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31883497>



I. N. J.

PROOEMIUM.



*U*a aliàs in infinitis ferè vitæ generi-
bus cernitur ingenij humani varietas, in exteriori
quoque cultura corporis mirum in modum sese pro-
dit. Quot ferè capita, tot inventa, & suum cuiq;
pulchrum, nihilque magis, juxta Plinium, & hîc
displicere videas, quam quod ita sit, tanquàm omni-

bis placeat. Face & viatico opus esset ad iter tàm longa narrationis,
quæ omnem colendi corporis instructum & mundum explicet. Singula
penè membra suum sibi, eumq; singularem ornatum vendicant, adid
ut ne infimam quidem humani corporis partem ad lutum aliàs da-
mnatam exemerit ingeniosa mortalium ostentatio. Quantus olim in
pedibus priscorum luxu fuerit, testantur Valer. Max. l. 9. c. 1. Ælianus
l. 9. var. histor. cap. 3. Sueton. in Vitell. Imp. Plin. lib. 47. c. 2. Chry-
sosth. Tom. 2. Hom. 56. in cap. 14. Matth. Add. Esa. 3. v. 16. Quem
honorem sandaliis suis in hunc usque diem arroget Præsul Romanus,
notius est, quàm ut hîc prolixius dici debeat. (1.) Nobis ea saltem,
quæ Capiti, potiori parti corporis, impendi solent, perlustrare animus
est. Et nec omnia quidem, quæ huc pertinere videntur, coacervabi-
mus, sed intra terminos Inscriptionis præmissæ mansuri, cultum præ-
cipuè circa CAPILLOS qualicunque huic opella selegimus. De Pilis
aliàs multa & varia, nec scitu indigna, de illorum ortu, defectu, situ,
canitie, calvitie, decidentia, magnitudine, figura, usu &c. extant
problemata, quæ curiosis naturalis scientiæ & Medicinæ Cultoribus
enodanda relinquimus. Hoc loco moraliter potissimum conside-
randi veniunt, quatenus circa eos rectæ rationis præcepta occupantur.

(1) Vid. Ce-
rimon. Rom.
L. 1. S. 3. c. 3.
Marcell. Rit.
Eccles. Rom.
L. 1. S. 4. Gol-
dast. Tom. 1.
Constit. imp.
f. 414. Laur.
Banch Rom.
Triumph. c.
10. p. 167. Vt
& Scævianus,
Mazaronius
& Suassay
Circæ peculiaribus

A

Circa prolixos autem succinctè, circa crispas viâ rectâ, fucatos cædendè, solâ veritate Duce, à studiis partium (quibus hoc ipso seculo Eruditos in Belgio plus justo commotos fuisse ex Historia literaria satis constat) planè alieni, incedemus. Ad sui conatibus nostris propitius Deus!

CAP. I.

§. 1. **N**ominis ante omnia natales in istiusmodi scribendi genere inquirere solenne est; In quibus tamen adeò rigorosos atque anxios esse præoccupata dudum ab aliis opera non requirit. Sive enim capillum derivatum à capite, quasi capitis pilum, sive primitivum vocabulum dicas, quid inde lucis evolutioni Morali fœnerari possimus, vix apparet. Circa Synonymiam & Homonymiam majori verborum apparatu opus videbatur; Sed nec est, cur hîc multum moræ trahamus. Id observetur tantum: & capillos, & alias sub iis tacitè à nobis indigitatas, tum æquipollentes tum specialiores voces, ad solum hominem nos restrictas velle. Aliàs de Brutorum quoque pilis easdem usurpari, & figuratâ sæpius locutione ad qualiacunq; rerum sensu carentium ornamenta trahi quis nescit? Catullus: (2) *Cinædæ Talle mollior cuniculi capillo*. Gellius: (3) *si caprarum lacte bœdi, aut ovium agni alantur, constat fermè in his lanam duriorẽ, in illis capillum gigni tenuiorem*. Sic Hyems ventorum injuriâ exuere plantas honore suo & exspoliare comis legitur, ubi frondes decutit. Flaccus, Arboribus redire comas simul cum vere ait; Tibullo cædere falce comam idem est, ac putare ramos & frondes arborum. Et Palladius rusticarum rerum Scriptor, arbores per insitionem inoculationemve (das Pfropffen/ Impffen oder Zweigen) acquirere adoptivas comas dicit.

§. 2. Capillos dum porrò humani capitis pilos dicimus, nihil nobis impræsentiarum negotii erit cum reliquis in corpore humano pilis, de quibus non spernenda & Medici, & Philosophi & Philologi, interque illos nonnulli professâ operâ (4) coacervarunt. Neque operæ pretium ducimus, ut in fabulosam, de

(2) *Epigr.* 25.

(3) *Noct. Att. L.* 12.
c. 1.

(4) *De Barberia* vid. *Diss. Jac. Thomas.*
anno 1676.

Lipsia habita, De pilis in genere Tardini & Sebizii Prof. Argent. Dissert. De pilis in diversis corporis humani aliorumque animalium internis partibus repertis, observat. Anatom. curiosis communicavit Edwardus Tyson M. Doct. & Regia Societatis Angl. Socius.

Diis Gentilium crinitis & comatis, nos immittamus Antiquitatem. Postquam enim corpus, sexum distinctum, variasque formarum effigies Deastris suis umbratici isti Cultores tribuere veriti haud sunt, facile fuit in complementum falsitatis alios pilosos, alios lanugine circumdatos, comatos alios, calvitiis alios & glabritatibus rasos, illos capillorum intortionibus crispulos, hos sylvescentium crinium velleribus involutos effingere. Quibus cum lixivium satis acre dudum præparaverit Arnobius, (5) è via ista lutulenta in amœnum campum Historicum properabimus, melioris ordinis gratiâ, primùm *Capillos promissos* sive Comam, hujusque nutritionem & culturam, post *tonsos* & *rasos* exposituri.

(5) *Dispan. adv. Gent. præp. m. L. 3. p. m. 64.*

CAP. II.

De

Capillis promissis.

§. 1. **S**tudium promittendi alendique Capillitii (quod & summittere crinem *Tacitus*, *Suetonius*, & submittere capillum *Plinius* dixerunt) antiquitate non minus quàm usu frequenti Gentium coruscat. Et illam quidem ex Veterum monumentis eruere, ejusve primævam Originem in apricum proferre, ideò supervacaneum videri posset, quòd tonsio & rasura Capillorum ex instituto hominum, ut luxurianti naturæ modum poneret, superinducta, habitum istum crinis cum ipso homine productum supponat. Quâ ratione moris hujus incunabula ex ipso Paradiso repetere, primumque humani generis stipitem Adamum comatum sistere in proclivi foret; præsertim cum nulla probabilis ratio dubitandi obftet, quin in statu integritatis caput ipsius æquè fecundo capillorum plantario, ac lapso homini etiamnum contingit, conserverit Creator Optimus Maximus. Neque præsumendum, ipsum capillos detondisse, cum instrumenta refecationi inservientia tunc temporis nondum fuerint reperta & usurpata, sed longè demum post ferramenta fabricata legantur. (1) Quo ipso argumento inductus *Jacobus Thomafius* (2) originem Barbæ promissæ Adamo adscribere haud dubitat. E-

(1) *Genes. 2. 22.*

(2) *Dispan. de Barba c. 1. sem. 2. 8.*

(3) in Gen.
L. 6.

in perfecta i. e. virili ætate formatum esse judicant, & absque hæsitazione adoptari quoque possit sententia Augustini (3) scribentis: *Facile fuit illi, qui per ordinariam temporis moram vinum produxit ex vite, & illud in Cana Galilee puncto temporis produxit ex aqua, hominem etiam, quem longo tempore format in utero, & eductum longiore etiam ad perfectionem ætatis deducit, in ætate perfecta à terra producere.* vid. Salden. Ot. Theolog. lib. 2. Exercit. 2. §. 14. De statura tamen & figura corporali Protoplastorum, qualis & quanta illa in specie quoad habitum crinis fuerit, maximè cum hæc quæstio sit facti, & Historia sacra de ea fileat, certi quid affirmare vix licet.

§. 2. Utut verò sit, antiquissimum nihilominus habitum istum crinis, si vel maximè primæva origo ejus in obscuro adhuc nataret, venditare non dubitamus. Ex posteritate sanè Adami ab omni ætate populos comatos Annales nobis sistunt, diversissimis tamen rationibus eò inductos fuisse, ex dicendis apparebit. Fuère, qui in partem libertatis naturalis homini circa res medias sive indifferentes relictæ computarunt, comam ceu velamentum capitis sponte à naturâ oblatum, custodire. Eò haud improbabili conjecturâ referimus exempla gentium nationumve, quibus comam simpliciter placuisse Historici memorant. vid.

(4) de Coma
cap. 3. p. m.
346.

omninò Jun. (4)

(5) Lib. 6.
Hexaemer.

§. 3. Aliis non planè res media & indifferens visa, ad Decorum circa cultum & ornatum capitis comam referre placuit. Eò procul dubio respexit B. Ambrosius (5) summatim, quid hac in parte cuius ætati, sexui, conditioni congruat, his verbis complexus: *Comam esse reverendam in Sacerdotibus, terribilem in Bellatoribus, decoram in Adolescentibus, comam in Mulieribus, dulcem in pueris.* (6) Et quod hic verbotenus præstitit, istud reipsa testatum voluere PERSÆ, à Delphico Oraculo peculiari Epitheto Criniti vocati. (7) LACÆDEMONII; quos Lycurgus comam retinere voluit, additâ hac sententiæ suæ ratione: *si vultus & forma fuerit bona, coma gratiam addet; sin verò facies turpior erit, coma efficietur horribilis, ut magis terrorem incutiat.* (8) specialiore assignat Aristoteles, (9) in Lacædemone comam alere pulchrum reputans,

(6) Add.
Pasquier L.
6. des recherches de la
France. c. 9.
Guyon Div.
Lec. L. 1. c.
21. p. m. 136.

(7) Herod.
lib. 6. Alex.

ab Alex.

Genial Dier. l. 5. c. 18. ibique Tiraquell. in not. (8) Plutarch. in Vit. Lys.
(9) Rhetor. l. 1. c. 9.

tans, quòd sit signum libertatis. Charillus Rex interrogatus, cur populares ejus comam alerent? respondit: Quia omnium ornamentorum minimo sumtu comparari possit. (10) LUSITANI comas tondere nefas duxerunt, sed illas ut foeminae diffundebant, teste Alex. ab Alex. (11) MAURIS & BRITANNIS in usu fuit, ut cincinnis ornati essent, rutilis comis, & tam composito capillo, ut vix se contingi paterentur, ne forsan turbaretur capillorum decus. (12) Galliae à comae studio, vel ut Plinii verbis utamur, ab intonsis capitibus Comatae (13) nomen fuit; Ligures, Cisalpinae Galliae populos, Capillatos nominatim recenset Plinius, & suffragatur Lucanus, (14) quos belli civilis tempore tonsos inque servitutem redactos memorat. Inde & apud eosdem Jus REGALIS CAPILLITII manavit, cujus originem nonnulli ex eo tempore repetunt, quo apud Veteres Francos subditis in signum subjectionis, capilli cadebantur, Principibus Agnatis istud insigne dominationis ad se trahentibus, ut hoc ipso Reges singulare quid habentes plus sibi Majestatis apud populum acquirerent. Hi à puero, antequam adirent Regna, quamplurimum poterant, alebant eos, ita ut de sincipite penderent capilli in humeros passim, occipitio verò ad utrumque latus crines essent implexi, pexi, comiti & ad ornamentum delibati; qualia eorum signa in antiquis Ecclesiarum monumentis extare, author est Tilius (15) Memorabile affectati hujus Regalis exemplum suppeditat Chrotildis Regia, Childeberti & Clotarii mater, satius reputans, si ad Regnum non proveherentur nepotes, mortuos eos videre quàm tonsos. apud Hottomann, (16)

(10) *Plut. in Apophth. Charill.*

(11) *d. l.*

(12) *Strabo lib. 15. & 17. Caesar in Comment.*

(13) *Mela de sit. orb. l. 2.*

c. 5. Plin. l. 4. c. 17.

(14) *Lib. 1. pharsaliae.*

(15) *l. 2. de reb. Gall.*

(16) *Franco. gall. Cap. 19.*

§. 4. Non equidem tam caro suorum sanguine, nec levi tamen jactura morem avitum alendi comam redemerunt LYCI, ut ne dubitarint quidem, multa nomine Fiscum Mausoli Cariae Regis inexplibilem & Hydropis instar semper siticulosum explere, quo liberis esse & immunibus liceret à legis Imperio, quæ crinium tondendorum necessitatem imponebat, uti refert Aristoteles (17.) Gemina de Coreensibus, tributum quotannis Tartaris hac conditione pendentibus, ne crines scindere cogerentur, tradit Mart. Martinius (18) De SINENSIBUS fide digni testantur, eos intonsis capitibus omninò esse, viros simul & foemi-

(17) *Oecon. l. 2.*

(18) *de Bello Tartar.*

nas in eo convenire, ut sinant in eam, quam natura fert, longitudinem crines demitti, animoque iniquiori ferre eos unius crinis è capitis cranio jacturam, quàm si omnes, qui mento facieve solent innasci, pessum irent. (19) Inde non minori, quàm isti, Zelo acti, pro habitu crinis, tanquam pro libertate, extrema cum Tartaris haud infelici successu tentarunt.

(19) F. Al-
varex Sema-
do Hist. Sin.
p. 1. c. 4. §
29.

§. 5. Et quid multis? ab antiquis temporibus ad nostram usque ætatem Comam non *Ornamenti* tantum, sed & *Nobilitatis*, *Sapientie* & *Gravitationis* insigne varias nationes ostentasse, curiosi istiusmodi rituum indagatores dudum annotarunt. Priscos Græcorum Philosophos magnam existimationis suæ partem in exteriori vestitu reposuisse, & capillis quoque prolixioribus sapien-

(20) L. 4. E-
pigr. 53.

(21) Noth.
Attic. l. 9.
c. 2.

tiz prærogativam affectasse, testimoniis Martialis (20) & Gellii (21) aliorumve evincitur. Et certè non alia Gentiles commovit ratio, cum Diis suis insignes adpingi curaverunt capillos, quàm ut eò venerabiliores illos hâc figurâ repræsentarent plebi. Apud Græcos etiam servis comam nutrire denegatum fuisse, scribit

(22) Læth.
Ant. L. 7. c.
33.

Cæl. Rhodigin. (22) quòd illos minimè deceret cultus, qui Magnorum & Nobilium familiaris erat ac proprius, ne tales superbiz intumescencia aliquando invaderet. Unde ortum est adagium: *Capillus Servilis*, de homine quodam vili dictum, & à servis manumittendis tractum, quorum capilli radebantur. Eâdem ratione inductus Claudius vel Clodion II. Rex Francorum, ab habitu comatus vel capillatus dictus, cum Romanos continuis bellis è Gallia feliciter expulisset, mandavit militibus & subditis, ut in signum libertatis comas & prolixos capillos alerent, quum antea Romani in notam servitutis ex decreto Cæsarum, tonderi

(23) Camer.
Hor. subc.
cens. 2. c. 40.

Gallos jussissent (23) Et etiamnum hodie condemnatos ad triremes in portu Massiliensi tonsuram pati, (aliquali saltem inter Christianos & infideles distinctione adhibitâ) oculatâ fide perhibent, qui oras istas peragrarunt. Quantum auctoritatis promissi Crines Magistratibus adderent, probè intellexit P. Rullus, (Princeps legis Agrariæ) qui designatus Tribunus, quò severior & truculentior plebi videretur, capillatior, quàm antè, barbâque majore apparebat, ut oculis & aspectu omnibus vim Tribuni-

(24) Cic. in
Orat. de leg.
Agrar.

tiam ostenderet. (24) Quem morem etiam quandoque in Creta inolevisse, ut nimirum capillos Magistratus submitterent, me-

morat

morat Rhodiginus. (25) Ipsi Reges quoque & Principes, quos vel nascendi fors, vel iudicium populi Reip. regendæ destinavit, prolixis capillis multum gravitatis sibi adjecerunt. Trajano Optimo Principi crinium promissio nomen dedisse videtur; dictus enim Ulpius Trajanus Crinitus, *Eutropio* teste. Scipionem majorem eximiae authoritatis virum Masinissæ obvium adornabat, inquit T. Livius (26) promissa Cæsaries. Achilli Juveni adhuc dum sparsam & prolixam Cæsariem, velut umbraculum quoddam frontis & magni animi, quo ferociat magis, incitamentum attribuit Philostratus. Absalon, Davidis illius beati filius, mortales omnes comæ decore superasse creditus est, ut in proverbium planè abierit: Comæ venustate vel ipsum Absalona vincere. Et probabile est, formam istam exterioriorem corporis multum valuisse apud populum, quò magis isti conciliaretur. Quod verò de pondere capillorum eorumque tonsione annuâ facer textus (27) perhibet, ingenia Interpretum in varias explicandi formulas distraxit; prodigiosum nonnullis videtur pondus ducentorum Siclorum, cum hominum aliorum capilli annui vix sint 50 vel 60 siclorum. Inde vel Hyperbolicam locutionem arguunt, vel pro ducentis viginti legunt, vel siclos Regios h. e. civiles & prophanos ponderi sacro, scilicet siclis sanctuarii, contradistinguunt. (28) Aliis pondus istud mirum non videtur, tum quia ut res singularis recensetur, tum quia erat pondus crinium toto anno succrescentium. Imò sunt, qui siclos non ad pondus referunt, sed ad pretium, quo capilli isti flavi rutilique Mulieribus Hierosolymitanis ad ornatum pergrati, vel ab Absalone ipso, vel à domesticis, vel tonsore quodam, cui capillos Domini sui habendi atque distrahendi jus erat, vendebantur. Siclum verò, si cum moneta nostræ ætatis exæquetur, non nisi drachmam valuisse, Henischius (29) aliive à Rangone (30) citati notant. De quibus viderint Critici sacri. Nobis suffecerit, ex eo, quod in Historia sacra satis planum est, inter ornamenta capitis Regii comam hanc, eximii vel ponderis vel pretii, retulisse. Julium quoque Cæsarem à Cæsarie, quòd cum magnis crinibus utero matris fuerit effusus, dictum nonnulli putant; (31) Sed cum Calviti deformitatem iniquissimè eundem tulisse, sæpiusque Obtrecta-

(25) *Leff. antiq. l. 8. cap. 21.*

(26) *L. 3. Belli pun.*

(27) *2. Sam. 14. v. 26.*

(28) *vid. Sanctum Ti- vinum, Ma- riana, Wase- rum ad d. l. Sam.*

(29) *de Affe- ejus & parti- bus. (30) de Capillamēt. c. 5. n. 20.*

(31) *Spartia- an. in Ælio Vero c. 2.*

(32) *in Vita Caesaris c. 45. add. Rhodigin. L. 3. c. 29.* Etatorum jocis obnoxiam expertum fuisse, Suetonius (32) auctor fit; utramque quidem opinionem citra contradictionem, admitti posse, haud verò exemplum isthoc ad hanc classem congruè referri, arbitramur.

§. 6. Propius huc spectare videntur, apud quos studium promittendi capillos in partem *Cultus religioni* deservit. Illuc non incommodè trahitur mos antiquissimus, quo adolescentes ad consistentem usque ætatem comam nutrire soliti, subsequente deinde tempore eam detonsam Diis consecrabant. Plutarchus refert, temporibus Thesei moris fuisse, ut excedentes ex ephēbis Delphos profecti, detonsæ comæ primitias Phœbo offerrent. Martialis quoque consuetudinem eam Romanis fuisse indicat; Festus Pompejus testatur, Capillarem arborem Romæ appellatam, in qua tonsum capillum DEO consecratum suspendebant adolescentes; vid. Polus (33) Vestalium virginum crinis ad Læton arborem Romæ vetustissimam deferrebat consecrandus. Alii fluminibus & stagnis, (forsan quòd rerum omnium sive principium, sive Elementum primum aquam, secundum philosophiam Thaletis, credidēre) capillum devovebant (34) Qui mos, (ut plura alia à superstitionis gentilibus quasi per manus tradita in Ecclesiam Romanam irrepserē) etiamnum observatur in Monialibus, ut initiandæ cirros capillorum detondeant, peculiari- busque Divis voveant, velut ejurantes fastus seminaria, & perpetuæ castitatis (cujus avocamentum esse queat comtus capillus) observationem professæ. Athenienses ferias quotannis celebrarunt, quibus puberes adolescentes detonsis crinibus ac exuviarum instar Dianæ appensis, virilem togam sumebant. Is autem crinis Græcis velut nutritius & apud Tragicos quasi tonsilis appellatus, tantisper intonsus servabatur, donec Diis consecraretur. (35) Plenius hanc Græcorum consuetudinem describit Joh. Jonstonus (36).

§. 7. Quod si ordine aliquantum inverso à supersticioso paganorum ritu ad Ecclesiam veram progredi licet, consecrationis istiusmodi capillaris vestigia in *Nazaraeis* quoque Theologos observasse, deprehendemus. Quod enim lege Divinâ (37) de non tondendis capillis ante completum votum, cavetur, potissimum hoc fine supremo Legislatori placuisse dicunt, ut eos in termino voti

voti sui Domino darent. Certum quippe est, Nazaros olim, voto completo, comam detondisse, eamque igni sacrificiali superimpositam DEO obtulisse (38). Inde notanter Consecratio i. e. signum separationis à vulgari conversatione in eorum capitibus, h. e. promissâ illa Cæsarie intonsâ esse dicitur (39). Eò & à Junio (40) Samsonis, ceu capillus ab utero Matris DEO consecratus, & abs aliis Pauli, Chenëreis (quæ portus erat Corinthiorum) comam deponentis, illiusque de radendis quatuor virorum capillis (quod voto sese obligaverant) mandatum refertur (41) Sed vid. Commentat. ad dd. ll. & Gejer (42).

(38) d. c. 6.
v. 18. add.
Sam. Petit.
L. 1. var.
Leff. c 3 ubi
plura de loco
& tempore
tonsonæ Na-
zar. notatis
digna recen-
set.

§. 8. Atque ita gentibus populisve Comam ceu ornamentum libertatis, gravitatis &c. symbolum in pretio fuisse vidimus. Verum ut mores subinde mutant ac tempora, nihilque rerum humanarum in eodem statu permanet nec hic ritus, intra cancellos uniformis undiquaque culturæ sese coactari passus est. Inde Ornatum istum nativum in augmentum decoris in humano corpore plerumque assumptum, nonnulli in signum deformitatis, horroris & luctus verterunt. Spartanis promissi capilli non semper arridebant; Lycurgus tamen milites promisso capillo & comatos esse voluit, terribiliores visu eos arbitratus (43). De Suevis sui temporis Tacitus (44) & de Arabibus, peregrinatorum, fide, scribit Camerarius: (45) folere illos cornua & cincinnos ex proprio capillonectere, atque sic bicornes in prælium prorumpere. Indorum populos efferos, & solitudine commercii que re denegato immites, unguibus nunquam recisis, & hirsutis intonsisque comis asperos damnat Curtius. (46) Lusitanos quoque qui in montibus horridum & incultam vitam humi ferarum ritu strati degebant, profundam comam nutrire solitos, scribit Strabo.

(39) d. c. 6.
v. 7.
(40) d. tr. p.
367.
(41) Act. 18.
v. 18. 21. &
24.
(42) de Lucif.
Ebr. c 8 §. 4.
(43) Alex. ab
Alex. l. 5. c.
18.
(44) de Mor.
Germ.
(45) Cent. I.
c. 93.
(46) Lib. 9.
c.

§. 9. In Luctu comam nutrire solenne multis populis fuit. Ita Caji Principis, Barbam & capillum, auditâ sororis morte, submitendis meminit Salmuth. (47) Cajum certè Caligulam, auditâ Drusillæ filiæ morte, præ nimio dolore capillum nutritivisse, refert Suetonius (48). De M. Lucio ita Cicero: *Sed erat veste obsoletâ, capilloque & barbâ promissâ, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominie acceptæ.* Similiter Terentius Varro post cladem Cannensem reliquo suæ ætatis tempore mento pa-

(47) ad Pan-
ciroll. T. 1.
Memor. tit.
44.
(48) in Vita
ejus cap. 24.

riter ac capite hirsutus fuit. Sparfas quoque & fluentes comas in funeribus receptas legimus. Cujusmodi illud est apud Ovidium, de Drusi Germanici nece ad Liviam: *Vidimus attonitum fraternâ morte Neronem, pallida projecta flere per ora comâ.* Et apud Virgilium passi quoque crines in mœrore leguntur h. e. inculti & in humeros negligenter rejeçti. (49) Lugentibus annumerari in-
 (49) *add. Jun. cap. 5. circa fin.* super meretur ille olim supplicantium crinis habitus, cùm ab aliis auxilia petitori formâ apparebant sordidissimâ, ut eò facilius mi-
 (50) *Decad. 5. l. 6. c. 94.* fera eorum conditio alios ad commiserationem moveret. Sic Le-
 (51) *Justin. l. 4. cap. 14. Speidel & Haer ab- schneiden. p. 555.* gati Alexandrini sordidâ veste capillisque promissis ingressos fuisse Curiam Romanam, ibique procumbentes lacrymis opem exorasse, testatur Livius (50). Eodem habitu Catinenses ali-
 quando Lacedæmonios adversus Syracusanos pacifragos im-
 plorasse feruntur. (51) Et certè cùm luçtuosis hisce capillis ma-
 gnam affinitatem habent illi, quos apud Romanos Rei crimi-
 num, ceu infelicissimi, in quo versabantur, status indices alebant;
 Ferebat quippe ita Mòs illius populi, ut Reus postulatus Civis
 Romanus non illicò carceri manciparetur, sed liberiori auræ re-
 liçtus in urbe obambulet, ut si pœnam legibus propositam e-
 vitare vellet, proprio motu exilium sibi indiceret; Interea verò
 temporis dum judicialis ferretur sententia, ab omni corporis
 munditie & cultu solebat abstinere, comam & barbam undique
 (52) *Gell. l. 3. c. 4. Barth in advers. l. 40. c. 13.* promittere, nec non vilissimas vestes induere, (52) ad captandam
 eò magis à Quiritibus intercessionem & gratiam. Neque ita cir-
 cumibant soli Rei, sed ipsorum amici & necessarii eos in ejus-
 (53) *Senec. l. 5. Controv. 30.* modi squalido habitu comitabantur; (53) qui mos tamen po-
 stea restrictus est sancitumque, ut nulli amplius vestem sordi-
 dam rei nomine in publico habere capillumque summittere li-
 ceat; nisi ita conjunctus esset affinitate, ut invitus in reum te-
 (54) *L. 19. ff. de injur. add l. 15. §. 27. cod.* stimonium dicere non posset. (54) Illud ad comæ alimoniam vi-
 lem & sordidam, nec immeritò postremo loco referimus, quod
 de veteri Hybernorum gente Junius (55) tradit; Illam ab omni
 (55) *pag. m. 352.* humano cultu alienissimam vix alium capillitii usum agnovisse,
 quàm ad detergendas manus à pinguibus cœnæ sordibus, cæte-
 raque omni illuvie; Eâ de causâ ingentes concretorum crinium
 spiras aluisse in humeros usque dependulas, quibus vice manti-
 lium

lium diffuentes pinguedine ciboque digitos solebant injicere, eoque pacto abstergere.

CAP. III.

De

Tonsura Capillorum.

§. 1. **D**E promissis capillis sat fusè hæctenus. De *tonsis & rasis*, ut nonnulla jungamus, connexio materiæ postulat. Sex potissimum modos, tollendæ recrementitiæ crinium sylvæ, ex antiquitate collegit *Hadrianus Junius*: nam aut tondébant forficula, aut radebant novacula, aut digitis vellebant, aut vossellis (*Gallis pincettes*) eradicabant, aut deglabratoriis medicamentis extinguebant; aut denique pice resinave extirpabant. Quos tamen omnes sub vocabulo tonsuræ nonnihil latius accepto complectemur. De *Origine* tonsuræ variè differunt eruditi, conjecturis potius quàm solidis rationibus inducti. *Carolo Maetsio* (1) probabile videtur, Adamum comam ferramento vel alio instrumento simili totondisse, neque ex eo solo, quòd ferramenta à Thubalkaino demum fabricata leguntur *Gen. 4. v. 22.* sententiam contrariam probabiliorem reddi, cùm hic non tam primus inventor, quàm potius artis in majus excultæ author ab interpretibus historiæ sacræ reputetur, nominatim à *Junio, Piscatore, Cajetano, Salanio, Pererio*. Adhæc potuisse Adamum instrumenra tonsioni apta eâdem arte fabricare, quâ ligones & rastros ad agriculturam sibi comparaverit; Neque difficilius videri, ex ferro aut alia quavis simili materia forpices ad ungues & crines relecandos conficere, quàm terram proscindere, plantare, ferere, irrigare, semitas viasque deambulationibus aptas parare. Vel si maximè usus ferramentorum ipsi incognitus fuisset, ingenii tamen ad omnia intenti acumen, & DEI φιλανθρωπίας benignitatem alia tonsuræ inservientia instrumenta suppeditare potuisse, talia scil. quæ insecutis temporibus homines scissioni adhibuerint, quemadmodum de Zippora uxore Moïsis, filiolum suum lapide acuto circumcidente, plurium doctissimorum virorum suffragio, de Mexicanis, quòd iis, quos immola-

(1) in *Diff. ad 1. Cor. 11. & Sylv. 29. Infig. 6. 13.*

(2) *Hist. L.*
5. c. 20. &
L. 6. c. 26.

(3) *des Essays*
l. 1. c. 30.

(4) *tr. de lib.*
Christ. circa
us. capillitii.

bant, cultro lapideo magno, lato & acuto pectus aperuerint, Josephi Acoſta (2) de Dionysio Sicilia Tyranno, quòd ardentibus nucium putaminibus comam circumadufferit, Plutarchi, de Canibalibus barbam instrumento ligneo aut lapideo vice novacula utentibus, Michaelis Montani (3) autoritate, comprobatum sit. Enimverò quid ad ista & alia pro hac sententia cumulata regeri possit, plenâ manu tradit Reviuſ Theologus Lugdunensis (4) Nobis lites istiusmodi tantâ animorum commotione frustra agitari videntur; tûm quia quæ super hac re disputantur, nullâ certitudine, sed meris conjecturis nituntur, quibus quisque ex suo ingenio fidem addere vel demere solet; tûm quia quæstio præjudicialis, an videlicet crines Adami eò usque exundarint, ut succisione vel tonsione opus habuerint, prius enodanda fuisset. Unde verò luxuriantem comam, quam uterque nimis forsan, confidenter supponit, probabunt. An ex Scriptura? At ea nihil tale dicit. An ex traditione? At de ea nihil accepimus. An ex ratione? at ea non comparet.

§. 2. Plus lucis affundent Historiæ, si in originem morum & rituum particularium hujus istiusve gentis inquiramus. Cûm enim peculiare suum studium seclari quælibet natio soleat, & non singulis saltem seculis, sed ferè annis alias vitæ rationes probet, ut quod hoc tempore concupivit, ab eodem alio tempore summoperè abhorreat, mirum videri non debet, si prolixos & tonſos crines subinde uni eidemque populo placuisse deprehenderit. Et *Græcis* quidem capillos capitis detondere in usu antiquissimo fuit. Si Varroni fides adhibenda, in Italiam Tonfores primum ex Sicilia venerunt, post Romam conditam Anno 454.

(5) *Dempster, ad Ro-*
ſin. Antiq. l.
10. c. 29.

(6) *de Barb.*
c. 2. lemm. 1.

(7) *Holl. So-*
mit. Hist. &
Icon. c. 4.

(8) *vid. Hist.*

adducti à P. Ticinio Mena: (5) antea tonsuræ usum nullum fuisse, ex Veterum non admodum Senum, sed in medio ætatis sculptorum statuis, & Poëtarum testimoniis colligit Jac. Thomafius. (6) Apud *Batavos* rasura incepisse videtur circa annum circiter Christ. 1100. sub Imperio potissimum Theodorici III. Hollandiæ & Zelandiæ Comitæ, qui planè Hollandicâ facie, promissa scil. barba & capite glabro repræsentatur cum reliquis ab Hadr. Barlando. (7) *Turcis* superioribus seculis comas alere usitatum fuit. (8) Hodie tamen secus esse, ex singulari prohibitione Mahumeti,

Muselman, Leonclav. opera edit. l. 4, in Vita Archangeli. Camer. Cent. 2. c. 40. p. m. 172.

humeti, testatur Muller. (9) In *Germania & Gallia* defuetudini (9) in der
quoad comam sollicitè antea cultam Philippus Bonus Dux Bur- *Turckischen*
gundia circa annum 1460. initium præbuisse fertur, refer. Heu- *Histori l. 2.*
tero. (10) Idem sequenti seculo XVI. in Galliâ tempore Francisci *part. 3. c. 3.*
I. qui post acceptum vulnus, ad facilitandam medelam, capillos *ex eo Speidel.*
tonderi iussit, contigisse, tradit Bodinus. (11) Gemina de Theo- *60c. Mart.*
philo Imperatore Græco naturâ calvo refert Camer. (12) Cran- *(10) de Reb.*
zsius (13) verò circa res gestas Ann. 1481. de Germanis hæc inse- *Burgund l.*
rit: *Quo tempore* (scil. quum implicitus bello Turcico esset Mat- *4.*
thias Hungarix Rex) *apud Principes nostrarum partium cepit ha-*
beri solenne, capillos truncari sibi suisque. Misere sibi invicem literas
inclusis forpicibus cum mandatis. Ita ludunt nostri, dum res serias pro
omnibus tractant, qui colluctantur infensissimo Christianis Turco hosti.
Ea tum res agebatur de capillis seriò tractandis. Sed sive vigilantibus
per vim & jocum, sive dormitantibus utcunque truncare studuerunt,
militaribus viris, ineptum arbitrati, si ut puella comas ornent.

§. 3. Quibus ex causis frequens ista circa habitum crinis
mutatio inducta fuerit, dictu, si non difficile, operosum tamen
videtur. Fuit enim, cum rasum vel tonsum in capite incedere
pars Religionis haberetur. Sic Nazaræos, voto completo, igni sa-
crificiali detonsam comam commisisse, supra cap. 2. §. 7. dictum.
Quorsum & referunt illam rasionem, quæ adhibebatur, si quis
vel de lepra suspectus, vel ex eadem jam sanatus ac mundandus
erat. (14) Item quando Levitæ DEO consecrandi primùm con- (14) *Lev. 13.*
spergebantur aquâ consecrationis, ducentes postmodum nova- *33. & 14. 8.*
culam super totam carnem suam. (15) sic formosæ etiam mulie- *& 9.*
res captivæ, si Israelitæ fieri deberet uxor, radendum prius erat (15) *Num. 8.*
caput. (16) Qui Mahumetanorū ritus circa sacra penitus inspe- *6. 7.*
xerunt, perhibent, eos in urbe Meccâ cultum facturos certo desi- (16) *Deuter.*
dere loco, caput, vel saltem supra dextra capitis tempora in fi- *21. 9. 12.*
gura orbis radi curare. Ad hoc tonsuræ genus pertinet *Ton-*
jura Clericalis & Monastica apud Pontificios recepta, cujus ini-
tium à Nazaræorum ritu supra tacto repetunt Polyd. Vergilius,
Isidorus. (17) Sed quum nonnisi duo genera Nazaræorum in sa- (17) *de Di-*
cris occurrant, *unum* eorum, qui sponte sua legibus Nazaræatus *vin. Off. in*
se subiciebant, ut quisque pro sua devotione tempus sibi cer- *Conc. Aquis-*
tum præsniret, dicti Votivi: *Alterum* eorum, qui præter ordinem *gr. c. 1.*

Imperio Divino inde à vitæ primordiis professionem istam amplecti jubebantur, cujusmodi fuisse dicunt Samsonem & Johannem Protobaptistam. (18) Neutrum tonsis Monachis & Clericis convenire, Theologi nostrates constanter tuentur. Non illud, quia eorum professio non temporaria, sed perpetua; Non hoc, quia Edicto Divino ad colorandam vocationem, qualis Nazaraeis tribui solet, hætenus destituti, non habent, in quo firmum separationis suæ præsidium collocent. Introduxisse verò primum tonsuram hanc Monasticam, inter nascentis Ecclesiæ primordia Anacletus à Petro, (juxta computationem Pontificiorum) Vetus Papa Romanus dicitur; (19) quam deinde Successores illius sub pœna Anathematis confirmarunt. (20) Alexander III. (21) jussit, ut Clerici, qui comam nutriunt & barbam, etiam inviti à suis Archi-Daconis tondeantur. Et in quarto Concilio Toletano præcipitur, ut Lectores, Levitæ & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. In quo posteriori Pontificii facile acquiescunt. Sed canonem ex Concilio Carthagenensi haustum, post in Jure Pontificio repetitum, una cum prædicto Rescripto Alexandri III. corruptæ Lectionis communiter arguunt, atque in priori juxta Manuscriptos codices Bibliothecæ Palatinæ & Conciliorum monumenta hoc ipso Seculo edita ita legendum censent: *Clerici neq; comam nutrant, neque barbam radant*; In posteriori verò, tonsores imitati, vocem barbæ abradunt, utpote quæ in Concilii Agathensis, unde rescriptum istud manavit, exemplaribus non deprehendatur. (22) Ut ut sit, morem hunc tondendi capillos, non semper, vel minimum non ubivis usu à papicolis observatum fuisse, constat. Nam in Hispania olim tonsuram istam, occasione quorundam Hæreticorum, qui eandem cum Catholicis usurparunt, ejus Regionis Episcopos in Concilio Toletano IV. (23) prohibuisse, ex Gregorio Turenensi (24) notat Speidel (25) & ex Hotting (26) Gejer. (27) De Gallia æquè dubitat Thomas (28) add. Brentius, Dn. Cancell. D. Osiander (29) qui veteres Sacerdotes & Monachos rastos non fuisse, amplius ex Optati loco contra Parmenionem, probare nititur. In consignandis causis, introducti ritus hujus Ecclesiastici, Romanis addicti sacris imprimis operosi sunt. rique

(18) *Luc. 1. v. 15.*
 (19) *Polyd. Vergil. de Rer. Invent. l. 4. c. 8. Ægyd. Massaus & Bedas anal. l. 5.*
 (20) *Can. 23. Dist. 23. c. 4. & 5. X. de vit. & bon. Cler.*
 (21) *Can. 22. Dist. 23. c. 7. X. de vita & hon. Cleric.*
 (22) *vid. Iohan. Picci Valeriani Pellunensis de Sacerdotum barbis ad Cardinal. Hippol. Medicem Orat.*
 (23) *c. 40.*
 (24) *de vita Sanct. Patr. 9. 17.*
 (25) *d. voce Haar p. 557.*
 (26) *Histor. Eccles. l. 1. p. 436.*
 (27) *de Lucæ, Ebraor.*
 (28) *de barba c. 2. n. 175.*
 (29) *ad Levit. 19. v. 27.*

rique Ifidorum (30) secuti, tonsuram signum quoddam, quod in corpore figuretur & in anima perficiatur, vel cum Polyd. Vergilio (31) commune initiatis omnibus insigne, præcipuumque sacri prophanique capitis discrimen venditant, quæ admonere dat Sacerdotes, spretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cœlestia tantum meditari. Quamquam & aliæ specialiores pro Monachorum tonsura, à reliquorum Clericorum multum distante, ex Card. Baronio (32) Germano Episcopo Constantino-politano (33) suppeditet Speidel. [34] in quas penitus inquire-re jam non vacat.

§. 4. Alii capillos ponebant studio *munditiei*; quomodo adhuc hodiè statis temporibus crines tonsoribus committi solent. Ita Josephus ad Pharaonem è carcere ducendus prius radebatur [35] Idemque facere etiam Mephibosethum consuevisse certis temporibus, colligimus ex 2. Sam. 19. v. 24. Ipse Summus Sacerdos in Ecclesia Veteris Testamenti qualibet Sabbathi vespera tondendus erat, ita ut forpice circumquaque crines æquarentur, capite tantum non raso; uti ex Seldeno refert Geier. [36] Introducto Romæ tonsuræ usu adeò comæ curam habuere Romani, ut de ridiculo fuerint, si quibus forte capillus paulò inæqualius fuerit tonsus. Alicubi succissio crinium recepta *expeditionis pugnae* causa; quomodo populi quidam bellicosi crines tondabant anteriores, eum in finem, ut ubi occasio esset confictandi cum hoste, capillis ab eo comprehendi non possent; quæ tamen tonsio partialis tantum fuit; siquidem fronti saltem demebant, posteriores verò nutriebant, ut prehendi fugientes possent à tergo; Obtinuit autem iste tondendi mos apud Arabes olim, Abantes, Mysios, Curetes, Ætolos, Lacedæmonios. [37] Idem de Americanis & reliquis Indis occidentalibus refert Camer. [38] Aliis demebantur capilli *ignominia* causa; Eò pertinent Longobardorum aliorumve populorum instituta, qui comam aliàs alentes, in damnatos animadvertabant forpice & scopis h. e. tonsos cædebant virgis. [39] Apud Romanos tonsura pœnæ loco in crimine peculatus [40] sepulchri violati [41] castrationis [42] Itemque comestionis cibi ex sanguine præparati [43] & raptus ad-

(30) *L. supr. alleg.*

(31) *L. 4. c. 8.*

(32) *Tom. 1. ann. Chr. 58. n. 124.*

(33) *Theatr. Rer. Eccles. Add. Jun. de coma cap. 2. in princ.*

(34) *d. l.*
(35) *Gen. 41. v. 14.*

[36] *d. tr. c. 8. §. 4.*

[37] *Alex. ab Alex. gen. dier. l. 3. c. 7. & lib. 5. c. 18. Tiragu. in not. ad eund. Pier. lib. 32. Hierogl. c. 36. Camerar. Hor. Subc. Cent. 1. c. 36.*

(38) *d. l.*

(39) *Salmuth ad Panciroll. T. 1. Mem. Tit. 44. Gandinus de Malef. in tractatu de pan. n. 56* (40) *L. 11 §. 1 ff ad L. lul pecul* [41] *Const Leon 96. in fin.* (42) *Nov. Leon. 60. in fin.* [43] *Nov. Leon. 50. (44) Nov. d. Imper. 35.*

- adhibita. Extat quoque Caroli M. constitutio: *Adjutores Conspirationum singuli eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Ubi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi invicem detondeant.* [45]
- (45) refer. *Camer. Cent. 3, c. 96.* Franciæ consuetudine [quod de Germanis Tacitus quoque affirmat] uxorem à marito adulterii postulatam & convictam tonderi, & capillis abscissis vestibusque in circuitum resectis ignominiosè per vicos circumduci, scribit Boerius [46] LL. Alemanorum, quæ temporibus Clotarii Regis sancitæ sunt, ita statuitur: *Si quis alicui contra Legem totonderit caput liberum non volenti, cum duodecim solidis componat.* [47] In Speculo Saxonico nonnulli delinquentes dicuntur per cutem & crines condemnari, quibus tonsuram in pœnam cessisse existimat Speidelius [48] sed forsân fatius est, verba ista de pœna corporis afflictiva in genere, wann die Klage zu Haut und Haar gehet / unde causæ Criminales denominationem isto Jure recipiunt, exaudire. [49] Propius huc spectat, quod de Henrico Aucupe Imp. Rom. narrat Reineccius, [50] cujus Legati cum ab hostibus, qui munitissimum locum Hartesburgum in monte prope Goslariam occuparant, violati, & crinibus præcis, virgis quoque malè mulctati essent, tantam inde indignationem concepit, ut mox punitis severè violatoribus pacis, munitionem illam funditus everterit. [51] Ad eandem ignominiosam relegamus tonsuram fervorum ita dictum capillicidium. Apud Romanos servi manumittendi rasis capitibus prætorem adibant, ibique virgulâ à Vindicio quodam vindictâ nuncupata pulsati, servitutem exuebant. Hinc est, quod gravis author Polybius Prusiam Bithyniæ Regem indignum tanti nominis majestatem scribit, quòd Pileatus raso capite obviam procedere Legatis Romanis, & quod Appianus addit, verbis eorum libertum se profiteri haud veritus fuerit. Græcorum quoque mancipia rasa fuisse testatur Aristophanes, [52] unde Athenienses illum, qui ex ingenuis radi se primùm passus fuerat, convicii nomine Κλέων appellarunt. [53] Apud Longobardos detondebantur capilli in signum servitutis, & Siculorum captivi tonsis crinibus in triumphum deducebantur, teste Plutarcho. [54] Fuit etiam, cum tonsum incedere
- (46) *Decis. 297. n. 13.*
- (47) *Camer. Cent. 1. c. 36. p. m. 166.*
- (48) *d. Soc. Haar &c. p. 555.*
- [49] vid. *Carpz Pr. Crim. p. 3. Q. 102. n. 55.*
- [50] *Chron. Slav. l. 2. c. 39.*
- [51] *Add. simile exemplum 1. Reg. 10. 1. Paralip. 19.*
- [52] *citatus à Jun. d. 11. c. 2.*
- [53] *Jun. d. c. 2. p. m. 322. Add. idem p. 319. ubi probrosam Morionum asurum hodiè adhucdum usitatam subjungit.* [54] cit. *Camer. Cent. 1. c. 36.*

notula subjectionis Civilis reputaretur. Eò ex supra traditis morem Francis aliquamdiu usitatum, ut nemini, præterquam Regi, Jus Capillitii esset, commodè trahi posse existimamus, cum Speidel. [55] Thomas. [56] Et cum subiectio ista libertatem naturalem magis circumscribat, quàm tollat, eò forsan respexit Carolus M. in privilegio Frisicionibus Romæ in Lateranensi palatio anno 802. his verbis concessio: *Item statuimus, ut Frisiones volentes militare & in substantia habentes, sint usque ad summitatem aurium circumtonsi, auro in eorum piludamento undecunque splendentes, ut per hoc suam valeant ostendere libertatem ipsis à nobis esse collatam.* (57) Rasuræ capillorum, in memoriam beneficii insignis collati, exemplum nonnulli è Polonia repetunt, atque tempore Casimiri in recognitionem, quòd Pontifex Romanus Regem, Monachū tunc & Diaconum, professionis & Sacramenti Religione solverit, incolas istius provinciæ rasuram contra morem istius temporis, transmissio quotannis ad aulam Romanam denario, recepisse contendunt. Verum quum de rei veritate dubitet, & rasuram nonnisi Regi inunctam è Dubravio novissimè ostendat, insuperque denarium istum rationem tributii habuisse, perneget Schulz. (58) nos idipsum in medio relinquimus. De tonsura calamitosa & mœstitiæ insignioris symbolo vid. Jun. (59) Speidel. (60) Camerar. (61) imprimis verò D. Geier. (62) Supernaturalis & cœlitus quodammodò factæ tonsuræ memorabile exemplum vid. ap. Alb. Cranz. (63) De vario Ornatu, crispatura, contortione, fucis, unguentis, & coloribus capillorum, ut & de canitie, & calvitie, satis prolixè, quantum ad telam Historicam, egit sæp. alleg. Jun. (64) De Capillis supposititiis & Capillamentis, (vulgò Paruquen) aliâ vice, Deo dante, videbimus.

CAP. IV.

De

Moralitate Capillorum.

§. I. **D**E Moralitate circa capillos disquisituri, non quicquid quoquo modo ad mores (sub quo vocabulo varias involvi significationes, abhinc toto cœlo remotas, condisci potest ex iis, quæ congeffit Sluter.) (1) spectat, coacervare, sed de capillis & habitu crinis, in quantum respectum habet ad Jus Naturæ &

(55) d. l.
(56) de Barb.
n. 100.

(57) Ludov.
Guicciard.
in descript.
Belg. & ex
ipso Camer.
Cent. 2 c. 40

(58) Polon.
nunquam
Tributar.
Sect. 6.

(59) d. c. 2.
p. m. 323. &
fig.

(60) d. Soc.
(61) Cent. 2.
cap. 40.

(62) de Luc.
Ebraor. c. 8.
§. 5. seqq.

(63) Metrop.
L. 6. c. 10.

(64) d. tr. c.
7. 8. 9. 10. &
11.

(1) de AA.
Mor. c. 1. §.
3. seqq.

C

De-

Decorum, in cultu exteriori corporis juxta dictamen rectæ rationis observandum, saltem agere animus est. Jus Naturæ dum pro principiis Tractationis nostræ seligimus, sequestrandæ nobis erunt LL. particulares positivæ, tum divinæ, tum humanæ, quibus libertatem circa usum capillitii circumscribi posse, & subinde circumscriptam fuisse, nemo ambigit. Et in his quidem voluntatem Legislatoris, vel expressam, vel tacitam, allegasse suffecerit. Illic verò rem ex veris & genuinis principiis eruere negotium altioris indaginis videtur. Comam sive prolixos Capillos sequiori sexui propriam, virili verò minus, utrobique naturâ ita jubente, convenire, multi, sed vario rationum apparatu, adstruere allaborant.

§. 2. Sunt, qui prærogativam sexus virilis eousque extolunt, ut nutritionem superfluum istius & recrementitiam sobolis, quâ non nisi mulieres elegantem sibi formam reddere soleant, juxta istud Apuleji, (2) longè infra ejus dignitatem computent. Hinc Hadrianus Junius (3) Si quis, ait, expensus ad Critolai bilancem examinet omnia, aut more saltem Areopagitarum citra effectus judicet, is facile inveniet, studium nutriendæ comæ non inutile modò esse vile ac ferum, solosque cum pueros tum fœminas decere, verum etiam servile, ignominiosum, supercilii fastusque plenum esse, ac molitiei notâ seculis omnibus in Viris infame fuisse. E contrario Tonsuram decoram, cultuique corporis necessariam, libero animanti & politico, homini videlicet, propriam, salubrem, virilitatis denique argumento honorificam esse habitam. Et ne dictatoriâ autoritate talia obtrudere videatur, locuplete, veterum imprimis Scriptorum autoritate, (4) evincere contendit, idem fermè olim fuisse tondere Comam, & virilem habitum assumere.

§. 3. Alii Vilitatem materiæ, tum ab ortu, tum à subiecto in quo, corporibus scilicet abjectis, è quibus copiosius pili progerminant, tum à communi hominum judicio, (ex quo proverbialis locutio: ne pili quidem i. e. nihili facio: orta,) repetentes, virum gloriæ decorisq; cupidum, vel solâ istius contemplatione ab alimonia hac, ceu omninò probrosa, retrahere satagunt. Quibus potissimum suffragatur Synesius, cujus locum ex libello *de Providentia* adhucdum inedito citatus Junius ita Latine dedit: *Critones sunt, quisquis glumæ animantis, ac putaminis quedam fructuum, naturæ*

(1) *Meta-*
morph. l. 2.
(3) *di. & tr.*
c. 4 p. 351.

(4) *Vid.*
Loc. ab ipso
allegat. p. 80.
355. 357. 360.
367.

nature ludibria, & imperfecta materia suffrutices. Medicos quoque in partes vocant, quos inter Princeps artis suæ Galenus (5) ^{(5) de Temp.} pilos in corpore humano, ex crassiori quadam & fuliginosa humorum illuvie, quæ à calore per angustos membranæ meatus foras propulsa, dum hæreat in transitu, condensetur, oriri dicit. Inde ad excrementa & quisquilias usque capillos ablegare haud veretur Junius, additâ gravi exhortatione: *Iniquum fuerit in hoc nos luto hæere, quin modis omnibus inde eluctandum, valedictoque alendorum crinium studio, Tonsuræ opera danda, quæ quòd imprimis homini (de virili autem sexu duntaxat loquitur) sit propria, demonstratione non indiget, clarèque ex eo liquet, quod non nisi agrestia, mollia, mortua denique omnia pilis horreant, cadavera, monstra, gigantes, semiferi, Fauni, & monoculus ille Polyphemus &c.* Add. Santorellus Med. & Prof. Neapolitanus *de Sanit. Nat. L. 6. cap. 5. pag. 142.*

§. 4. Nonnulli ad distinctionem sexuum provocant, & quod supra jam à nobis tactum, quasi Coma virilis cum decoro sexus præstantioris haud consistat, speciosius ita proponunt: Naturam docere, inter utrumque sexum discriminis rationem habendam esse, eumque in finem non distincta saltem cuique vivendi præcepta instillasse, sed, ad evitandam omnem confusionem, circa habitum quoque corporis externum alia atq; alia signa enixam esse, è quibus tò decorum in communi, & quid cuivis pro sexus sui ratione conveniat, colligere in proclivi sit. Haud ita incurioso oculo lustrari debere statutum ab ipso Deo ordinem, quo Mulieri crines densi & prolixi suppeditentur, viro non item: Omnino naturæ, in certum semper finem intentæ, opus videri, quo viri & mulieris capita ita discreta appareant, ut hujus sit aptissimum ad nutriendam Comam, illius verò prorsus ineptum; neque insuper habendam inclinationem naturalem sive animi propensionem, quæ mulieribus insit ad nutriendam Comam, quæ naturale ipsis sit velamen, non æquè viris. In hanc sententiam citari solet Rivetus in epistola quadam de sensu loci 1. *Corinth. 11. v. 14.* Gallico idiomate edita: *C'est chose honteuse à la femme d'être tondue, par l'ENSEIGNEMENT DE NATURE, qui luy a pourveu de cette couverture, par l'humidité de son cerveau. C'est chose aussi honteuse à l'homme, PAR L'ENSEIGNEMENT DE NATURE, de nourrir*

des grands cheveux, comme s'il vouloit renoncer à son privilege, & se rendre effeminé. Dieu luy ayant donné un autre ornement distinctif

(6) *d. tr. p. en sa Barbe.* Gemina tradit Hadr. Jun. (6) Beza (7) *Natura*, inquit, *viro breviores capillos, etiamsi quis sinat excrescere, mulieri prolixiores & capiti obvolvendo tribuit.* Add. plures citati à Maets. *Diff. text. ad d. l. Corinth. p. 1. 9. 2. & p. 3. 9. 1.*

§ 5. *Franciscus Junius* in hoc argumentandi genere eousque progreditur, ut prohibitionem Comæ virilis inde derivatam præcepto de non confundendis vestibus utriusque sexus exæquet.

(8) *Anal. Deut. 22. 5.*

(9) *Deuter. 22. 5. 5.*

(8) Hoc verò non ceremoniale, rationi cuidam figurativæ innixum, sed præceptum honestatis communis in ipsa natura fundatæ, eoque perpetuum esse, ex ratione à Mose (9) expressa, quòd transgressores ejus sint abominationi Domino, colligit; tanquam si diceret, non posse non abominari Deum homines ejusmodi, qui naturam, naturalemque honestatem & ordinem ita conturbent. Utut enim nominatim Comæ mentio ibidem non fiat, ab honestate tamen, quæ in vestibus personarum diversi sexus elucere debet, optimè inferri ad honestatem in capillis, eidem ordini Divino, cui omnes oportet acquiescere, obnoxiiis, fervendam; alioquin perituram argumentationem, quæ duci soleat à comparatione parium. Consentit Rivetus l. cit. his verbis: *Comme la Loy ne veut pas, que l'homme prenne l'habit de femme, ny au contraire: aussi veut la meme loy conforme à la nature, que l'homme marche la teste levée, & qu'il ait notable distinction entre l'homme & la femme, MÊME POUR LES CHEVEUX.*

(10) *Diffp. Theol. Part. 4. de Excess. Mund. pag. 457. §. 2.*

§. 6. *Carolus Maetsius*, judicio Voetii (10) pereruditus & solidus Theologus, interque eos, qui hoc seculo Controversiæ, uti vocant, Capillari in Hollandia sese immiscuerunt, haud postremus, de Coma virili prolixè egit; ejus verò assertionum summa hæc est: 1. Capillos viriles eousque nutriendos, ut cutis capitis cervicisque honestè tegatur; Inde damnat capillos humeris involutantes aut tergum flagellantes. 2. Non posse præcisè eundem omnibus terminum aut mensuram nutriendi aut tollendi capillos præscribi, propter diversam ætatum, complexionum, dispositionum, locorum & temporum rationem. 3. Quicquid capillorum à limitibus, quibus DEUS locum originis eorum circumscripsit, notabiliter recedat, nec faciat ad utilitatem gestantis,

tis, sed potius ei incommodet, illicitū esse. 4. Considerare quem-
que debere, quibus sit viribus, quæ natura loci, in quo, & cœli,
sub quo vivit, ut modum nutritioni capillorum statuatur, ne vide-
licet necessitatem prolixioris capillitii, ubi nulla est, fingat, aut
ubi iusta est, scrupulo non necessario se torqueat, sibi que incom-
modum accersat. 5. Consuetudinem Gentis, apud quam vivi-
mus, quoad nutritionem capillorum non esse sequendam, nisi
constet talem esse, quæ sacris literis & rectæ rationi non repu-
gnet. (11) Et ut posteriori huic asserto majorem lucem fœnere-

(11) in Syl.
quæst. insign.
cap. 3. & in
Diss. Text.
ad 1. Cor. II.

tur, alibi, *Judicium*, ait, *sanae rationis, per quod legem naturalem in-*
vestigamus, quasdam actiones absolute damnare tanquam turpes &
intrinsicâ malitiâ laborantes, quasdam verò non nisi positis ponendis;
posteriori modo cum Poimenandro legem naturæ sive judicium sanæ ra-
tionis prolixos virorum capillos damnare censet &c. (12)

§. 7. Sic ergò in idem placitum consentientes plures ha-
bemus, quoad modum verò demonstrandi in tam vagas & di-
versas collectiones atque illationes distractos, ut vix sibi consta-
re videantur. Hos scopulos evitaturi alii, insuper habitâ artifi-
ciosa istâ deductione, illicò ad verbum DEI Revelatum tanquàm
ad sacram anchoram confugiunt, totiusque Controversiæ ca-
pillaris decisionem ex fonte limpidissimo, indubitatâ & eviden-
tissimâ collectione repetere, quàm circa longe petitas ratiocina-
tiones fluctuare malunt, multorum & Veterum & Recentiorum
vestigia secuti, quibus de Jure Naturæ parum cognosci posse,
aut nonnisi imperfectè, nisi in auxilium vocetur revelatio pecu-
liaris summi LLatoris, à quo Jus illud pendeat, constans senten-
tia hæret. (13) Hi verò, missis aliis, qui per argumentum allegari

(12) Add Id.
cap. 14. &
15. p. m. 129.
& 139 Voet.
Dissp. Theol.
P. 4. p. 454.

(13) Vid. Ei-
chel. d. Jur.
Nat. lib. &
par. part.
prior. §. II.

possent, locis, unicum præsidium collocant in classico illo Pauli
loco 1. CORINTH. XI. VERS. XIII. & XIV. cujus verba in Origi-
nario ita leguntur: *Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κριναίτε, πῶς ἐστὶν ἐστὶ γυναῖκα ἀκατακά-*
λυτον τῷ Θεῷ προσέχειν. ἡ δὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ
κεφαλὴ ἐστὶν ἡ ἐκκλησία, ἡ σώματι αὐτῆς ἐστὶ ἡ κοίτη, ἡ ἡμέρα αὐτῆς ἐστὶν, ὅτι ἡ κοίτη
ἀντὶ τοῦ σώματος δέδοται αὐτῇ. Vulgata verò Versio, quam hîc seque-
mur, ita expressit: *Vos ipsi judicate: Decetne mulierem non velatam*
orare DEUM? Nec ipsa natura docet vos, quod vir, si comam nutriat,
ignominia est illi? Mulier verò, si comam nutriat, gloria est illi; quo-
niam capilli pro velamine ei dati sunt.

(14) *Add.*
Loc. Senec.
Cicer. Laert.
cit. à McG.
Nucl. Iur.
Natur. &
Gent. Insp.
 3. N. 16.

§. 8. Non levis quidem circa hunc locum (quem non sine ratione vexatissimum dicit Matth. Polus in *Synops. Critic.*) disceptatio occurrit; num verba Apostoli legem importent, an nudum consilium? si prius, an naturalem, an positivam? universalem, an particularem? Quid sit φύσις sive natura? Quid ἡμεῖς, comatum esse? Quid ἀνυμία dedecus? Singula hîc excutere, aut referre saltem nec licet, nec libet. Circa solam vocem *Nature* Eruditi in Belgio 12 significationes congefferunt, quas inter non postremum locum occupat, quæ Paulum ad iudicium rectæ rationis ipsamque legem naturalem hîc provocare dicit. Pro qua sententia militare videtur, tûm analogia Scripturæ, in qua vox φύσις sæpius in eodem sensu occurrit v. g. *Rom. 1. v. 26. & 2. v. 14.* tûm quòd proximior ratio demonstrandi, aliquid Jure naturali præcipi vel vetari, peti soleat ex convenientia vel disconvenientia cum natura, ad quam, ceu ad optimum & fidissimum, pædagogum, toties & veteres & recentiores in *Moralibus* provocant, nil magis commendantes, quàm præstantissimam istam vitæ Ducem & sapientiæ Lucem sciscitari & sequi. (14) Tûm quòd conscientiam Corinthiorum sollicitet Apostolus, eosque summæ incogitantix arguat, quâ ne ipsius quidem naturæ documentum observarent, unde intelligere possent, quodnam sit mulieris, quodnam Viri officium: Istum verò secessum mentis intra semet, pro iudicio de Jure & moribus, DEUM in Sacris tunc maximè indicare & commendare, ubi populum suum legem naturâ notam migrasse ostendat. v. g. *Esaiæ 46. v. 8.* tûm quia in toto contextu virum comatum & tecto capite incedere illi ordini subordinatorum repugnare contendat Apostolus, juxta quem vir caput uxoris dicatur, velamen ascititium cum naturali (coma sc.) tûm arctè jungat, ut de uno dictum subintellectû quoque voluerit de altero. De illo verò Paulum loqui tanquam de signo subjectionis & obsequii, cui ex dictamine sanæ rationis, secundum concinnum istum naturalem & constantem ordinem à DEO introductum, Mulieres obnoxix sint: quemadmodum è converso caput integumento liberum in Viris signum præbeat Imperii naturâ iisdem competentis.

§. 9. Qui ex Gentium populorumve culturâ morum præcæteris conspicuorum, institutis & consuetudinibus argumenta
 Juris

Juris Naturalis aliàs petere solent, in farrigine exemplorum, quibus Tonfi capilli, tanquam peculiare sexus virilis Ornamentum placuisse, ex historiis omnis ævi constat, & hîc securè requiescunt. Neq; si quæ è converso pro Coma virili hinc inde recepta afferuntur, tonsuræ communi consensu approbatæ quicquam detrahi putant; Deos Gentilium Crinitos & Comatos quidem depingi; sed Jovem egregium stupri Artificem; Apollinem non minus strenuum Amatorem, Neptunum, cujus lubidinum fervorem undæ nullæ restinguere potuerint, quin in omne Nympharum genus effervesceret; Bacchum delitiis diffluentem, semperq; pulchrum, & assiduè præter pocula aliud non tractantem, otium non habuisse tollendæ comæ, propterea intonsum semper mansisse; Populos nonnullos pilorum sylvam aluisse, sed infirmis rationibus nixam fuisse eorum praxin; Inter media arma, ubi humano cultui honos omnis denegari solet, Cæsariem inumbrasse Scipionem; *Homerum* Comatos depingere Græcos Milites, non ad formæ commendationem, sed argumento terroris, ad percellendos hostes comparati, cruenti leonis instar, cui jubæ & villorum hirsuties terrorem addat; quemadmodum & crinitæ stellæ, quos Cometas dicimus, horrentes crine sanguineo & comarum modo in vertice hispidæ, terrificum quiddam terris plerumque portant, testante *Plinio*. Spartanos justam habuisse promittendi capillitii causam, ut hoc discrimine ab hostibus Argivis internoscerentur, qui diversam legem sanxerant. *Ægyptiis* ignoscendum esse, quòd in peregrinatione Cæsariem non refecarint, ad doloris quandam significationem comâ squalentibus, dum à patriis sedibus & penatibus velut extorres peregrinarentur. Adolescentibus, qui pueritiæ crepundia vix deposuerunt, ignaris etiamnum, quid virilem gravitatem deceat, imbellem naturæ molitiam aliquid indulgisse, quæ à viris longè remota esse debeat. Præter hos paucos reperiri comæ virilis studiosos, & ad cæteros, quibus Mulierum ornamentum proprium habetur, ferè nullos. Exemplis Gallorum, Getarum, Britannorum, Persarum, Scytharum, Sinenfium &c. ad destruendum communem morationum populorum consensum, nil inesse momenti; Fuisse enim capillatos suo more h. e. in hoc à reliquis distinctos, cultus Civilitatisque Græcicæ aut Romanæ adhuc expertes, aut incuriosos. (15)

(15) Confer.
Iun. d. 11. de

§. 10. Coma sup. 30

§. 10. Isthæc quamquam non planè de nihilo esse videantur, nobis tamen haud eò usq; probantur, ut *comam virilem* Jure Naturali simpliciter prohibitam inde firmâ ratione colligi queat. Dignitatem sexus virilis prolixioribus capillis imminui, facilius dicitur, quàm probatur. Neq; enim apparet, quî vir neglectæ, quæ sexum suum exornare apta est, gravitatis illicò insimulari debeat, si, morem apud suos receptû secutus, à succisione crinium sponte natorum abstineat, Capillitium à natura productum non tam

(16) *alleg. à Rangon. de Capillamēt. cap. 5. n. 14.*

(17) *de occult. natur. mir. l. 4. c. 8.*

alat, quàm toleret. *Naturâ*, ait Synesius (16) *omnes formæ ac pulchritudinis desiderio tenemur, ad quam magna ex capillorum honore fit accessio.* Hadriano Junio opponimus authoritatem Lemnii, (17) advertentis, frequentem tonsionis pilorum usum homines effeminatos & molles reddere, eò quod spiritus & calorem nativum resolvat & extenuet, magnamque audaciæ & confidentiæ partem in adeundis periculis cordi detrahat. Decorum, honestatem, gravitatem in omnibus actionibus, in dictis, in gestibus, in omni corporis habitu, in omni ratione civilis convictus & consuetudinis observandam, ut quantum fieri potest, nihil inverecundè, leviter, ineptè agatur, omninò agnoscimus; sed an regula universalis, quæ moribus istiusmodi externis, imprimis quoad vestitum habitumve crinis, modum & limites, cuivis sexui præcisè custodiendos ponat, ex meris naturæ dictatis erui possit, valdè dubitamus. In errorem ferè popularem transit, ut ex unius alteriusve Reipublicæ institutis & moribus argumenta ad firmanda juris naturalis placita assumantur. (18) Quid mirum si & hîc lapsa consuetudo de via flexit, ut sine discrimine rationis communis dictamini transcriberet, quæ Civitas in rebus arbitrariæ determinationis, ex ratione merè Civili, recepit.

(18) *Conf. Mev. Nucl. Jur. Natur. In sp. 3. N. 10.*

(19) *Disq. Physiol. de Pulsu C. 2. n. 4.*

(20) *Add. Gnyon. Disq. Lec. 1. l. 6. 21. Rhodigin. B. A. lib. 3. c. 23.*

(21) *d. 11. c. 4. Et c. 11. 12. Princip.*

§. 11. An pili rectè excrementis accenseantur? Medicorum est disquirere; Mitius de hoc naturæ fœtu sentiunt Galeni filii, interque eos *Job. Tardinus Turonens. Medicus.* (19) *Sicut nobilium palatiorum tecta non ad necessitatem tantum, sed ad ornamentum quoque sunt elaborata: Ita capitis pili, qui sunt Regii hujus domicilii tectum, non ad arcendas tantum externas injurias, sed ad totius quoque corporis ornamentum sunt instituti.* (20) Parallela habet ipse dissentiens *Hadr. Junius.* (21) Neque facit ad rem, quòd ex materia vilissima ortum trahant, cum non eò minus singulari DEI providen-

dentiâ uberem eorum proventum natura effundat. Difertè Chri-
 stus capillos capitis nostri numeratos esse docet. (22) Et Augu-
 stinus (23) *DEUS*, inquit, *ita est artifex magnus in magnis, ut mi-
 nor non sit in parvis: quæ parva non sua granditate, quæ nulla est, sed*
Artificis sapientiâ metienda sunt. Eò pertinet, quòd in Sacris (24)
 subinde inter Ornamenta utriusq; sexus referuntur, quòd Naza-
 ræi olim voto completo, comam detonsam igni sacrificiali impo-
 sitam DEO obtulerunt, & apud Gentiles quoque depositio cri-
 nium pro sacra ac devota re habita. (25) Quin imò, si in uni-
 versum pili ad quisquillas & exuvias corporis humani detrudi-
 merentur, quî sit, quòd Barba, eadem materiâ luxurians, tan-
 quam singulare masculini sexus insigne & ornamentum, de-
 prædicatur à Musonio, (26) Lactantio, (27) Junio, (28) Pier.
 Valeriano? (29) quòd capilli capitis ad decorum sexus muliebris
 communiter referuntur, & rasura eorundem ridicula, mollitiei
 macula, infamis, ignominia, calamitatis, damni noxæque index,
 & si in specie de Barba sermo sit, Impietatis, Ingratitudinisque
 erga naturam & DEUM, nota perhibetur? (30)

§. 12. Qui distinctionem Sexuum urgent, non tam rigidos Censo-
 res Comæ virilis agunt, eò quòd tacitè promissionem Capillorum Viri-
 lium, cum qua discrimen muliebris Comæ adhuc consistere possit, ad-
 mittere videantur; sed nec tamen viâ regiâ incedunt, ut citra aberrationis
 metum tutò eorum vestigia premere liceat. Quod enim dicebatur, ipsam
 naturam optimi hic *Pædagog*i vices subire, dum viri & mulieris capita
 ita discreveris, ut hujus sit aptissimum ad nutriendam Comam, illius ve-
 rò prorsus ineptum, *Rezio* & *Salmasio* merum postulatum videtur; par-
 tim quia populis, Tonsuræ ex instituto humano assuetis, dubium suboriri
 possit, an non Coma virilis in eandem cum muliebri luxuriam dege-
 neratura sit; partim quia experientia reclamet, & quòd viri alicubi pilo-
 flores sint, quàm feminae, exemplo multorum Novi Orbis Incolarum,
 quibus coma ad talos usque denuat, evincatur. Inde suâ sponte con-
 cidunt, quæ de custodiendo ordine naturali tam operosè coacervantur.
 Quamquam, ne quidem naturalia omnia ad jus statim referri debeant,
 Ubi enim, quid naturalis Juris sit, quæritur, non sufficit saltem inspexisse,
 quid meræ naturæ sit, sed quomodo ad bonum & honestum ducat.
 Mundi Conditor, qui Deus ordinis est, quicquid condidit, sub certo or-
 dine conclusit, & hunc Ordinem instar Legis quandoque rebus natura-
 libus constituit, sicut per illum ipsas in sua essentia composuit, & ad effe-
 ctus ordinavit. Sed absit, ut promiscuè omnia, quæ Ordinem istum
 qualitercunque attingunt, sub rigido Legis naturalis præcepto com-
 plectamur. Multum differunt, esse à natura, aut esse conveniens natu-
 ræ, & revera esse à Lege naturæ. Naturalia enim sæpe dicuntur etiam

(22) *Matth.*
 10. v. 30.
 (23) *Aug.* 2. *Sam.*
 14. v. 11.

(24) *Lib. 2.*
de Civ. DEI
 cap. 22.

(24) *Cant.*
 4. 5. 6 & 7.

(25) *Tho-*
mas. de Barb.
 n. 181. &
mult. preced.

(26) *ap. Sto-*
baum Scrm.
 6. v. 44.

(27) *in lib.*
de Opific. Dei
 c. 7. in fin.

(28) *de Com.*
 c. 2.

(29) *Orat.*
de Sacerd.
Barb.

(30) *vid.*
Jun. d. tr. c.
 2. pag. 317.
 & seqq. *Va-*
lerian. dist.
Orat. de
Barba.

illa, ad quæ vel natura inclinatur, vel quæ tantum permittit, quæ honesta, suo modo esse judicat, etsi non planè debita, vel quibus jus naturæ non repugnat. A lege verò Naturæ sola illa proficiscuntur, quæ fieri vel non fieri natura jubet, sic ut istud omitti, hoc fieri sine peccato nequeat. (31)

(31) *Rachel*, de J. Nat. §.

13. *McG. d. 17.*
Insp. 2. N. 4.

(32) *cit. à Camer.*

Cent. 2. c. 39.

Add. Id. cent. 1. c. 36.

in princ. (33) Tom. 3. lib. 4. Epist. 15.

(34) L. 2. Exerc. 12. Serm. Ibant Magi &c.

(35) Add. omnino D. O. siand. Theol. Cas. P. 1. c. 15.

pag. 1525. & seqq.

(36) Eib. N. com. l. 3. c. 1.

(37) Confer. Interpp. Aristot. Marjyr, Acciolo, Eufratius &c.

(38) vid. Deuter. 14, 3. 24, 4. 17, 1.

Lev. 18.

(39) de Jur. N. & Gent. juxt. discipl.

Hebr. c. 11. p. 623.

(40) Dissp. Theoll. P. 4. pag. 463.

§. 13. *Francisco Junio & Ricteto* ut litem prolixam moveamus, operæ pretium haud videtur. Quod si enim Comam virilem, more muliebri h. e. eousque promissam, ut discrimen sexuum, minimum quoad habitum exteriorem tollat, impugnandam sibi sumpturunt, terminos quæstionis à nobis propositæ ferè transcendunt, Quo loco præceptum, de non commutandis vestibus in Sacris expressum, habendum sit, inter Juris Hebraici Interpretes non convenit. Fuere, qui metaphoricam significationem eidem tribuerent; quos inter *Clemens Alexandrinus*: (32) *Quam rationem, habet hac Lex? An non vult nos esse viros, & nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effeminari?* Et *D. Ambrosius*: (33) *Arbitror, quod non tam de veste, quam de moribus dixerit hac Lex, vel de usibus atque actibus, quod alius virum, alius feminam deceat actus.* Cardinalis verò *Cusani* (34) sententia est, hanc prohibitionem in Lege divina, ne vir indueret vestem muliebrem, & è converso, propter Idololatriam factam esse: quia mulieres vestes viriles & arma in honorem Martis inducant, & viri muliebres, in honorem Veneris. (35) Ut ut sit, indecoram & indignam viro vestem muliebrem esse, omnes ultrò agnoscunt; sed distinctionem vestium in se spectatam cum moralitate ita connexam esse, ut illa dicuntur moralia, quorum oppositum intrinsecam turpitudinem notat, nemo facile dixerit. Quæ hujus generis sunt, nullâ vi aut necessitate coacti agere debemus, cum econtra laudem aut saltem veniam ex sententia Aristotelis (36) mereatur vir gravis, si à Tyranno stolâ muliebri prodire in publicum jussus id faciat, ut patriæ, parentibus aut liberis consulat. (37) De cætero diffiteri quidem haud possumus, complura Hebræos, præter Sanctiones, quibus Respublica eorum, sacrorum ritus & ceremoniæ stabilirentur, à Divino LLatore jussa accepisse, quorum ad omnes homines latè vis sese extendit. Ea verò ritè à se invicem discernere, & de *νεταγλοις* ac characteribus præceptorum moralium toti generi humano præscriptorum certi quid pronunciare, res majoris momenti videtur. Si per omnia Scripturæ loca ire quis vellet, deprehendet, sæpius violatæ Legis Naturalis mentionem fieri, omittâ planè ista formula: quod Violatores sint abominationi Domino: neque è converso omnia delicta, quibus annexa, hujusmodi esse, ut transgressionem legis universalis, directò involvant. (38) Inde Decus Angliæ Janus Seld. (39) *Abominationes*, ait, *vocantur non solum hæc, (i. e. quæ iuri naturæ adversantur) sed etiam cætera Interdicta. Sed hæc, quia nunquam non abominationes erant; Cætera, quia ex sacro Numinis interdicto, iam nomen istud satis inducunt; non aliter ac in Legibus de piscibus atque avibus aliquot & reptilibus, à quibus Ebræis abstinendum erat, non semel adjicitur: abominatio est; & in Lege de bove & pecore, in quo macula aut vitium, non sacrificando, quia abominatio est. Vtrobique abominationis nomen, non ex pristina natura res, sed ex Sanctissimi Legislatoris, eò interdictorum suorum formulis utentis, placito, induitur.* Circa tradita quoque *Maesii*, quem ferè *κατὰ πίδα* sequitur *Voetius* (40)

non

non deest, quod in dubium revocari possit; Sed cum lucubrationes *Revis*, (41) *cit. 11. de Lib. Chr. circa us. 64. pill.*
(41) qui ex professo ipsius Antagonistam in hoc negotio capillari egit, hic nobis otium faciant, eò B. L. remittimus.

§. 14. Qui Sacras Literas, pro explorandis Juris Naturalis præceptis, in suffragium adducunt, ideò censuram non incurrunt, quòd propositiones naturà notas, quarumve evidentia per observationes ex ipsa natura rerum & conditione hominis petitas, intellectui sese insinuat, veritatis irrefragabilis testimoniis muniant, eoque majoris impudentiæ vel improbitatis convincant, qui in medio sole divinæ Revelationis, magis quàm Gentiles ad solius rationis, in tenebris verique cultus divini Ignorantiâ superstitis lucernam cæcutire vel peccare non erubescunt. Verùm in eo non pauci aberrant, quòd in Sacris præcepta vel vetita illicò juri naturali transcribant; & ex sanctis verbi Revelati de veritate eorundem edocti, naturalem de moribus emendandis & felicitate acquirenda cogitandi facultatem vel planè despiciant, vel inexcultam & inexercitam relinquant. Illi sanè perinde nobis videntur agere, ac si quis oculum alterum erueret, propterea quòd interdum, uti ad scopum eminens positum collimantibus contingit, aliqua, oculorum altero clauso, melius videri deprehendat. Honorem suum Theologiæ revelatæ debitum summum, sanctum & intactum meritò relinquimus. (42) At cùm Sacer Codex plura contineat, quæ non ex naturali sed voluntario Jure Divino oriuntur, neque in universum homini, sed uni populo Hebræo præscripta, vel ad Reip. Statum & Regimen politicum, vel ad formandas sacrorum Ceremonias, vel ad forensium negotiorum ordinem pertineant, nec adeò in proclivi sit, quid cujusque sit, discernere, argumentatio à tenore sacrorum eloquiorum ad Jus naturale planè universalis atque necessaria censeri non debet. [43]

(42) *Confero omn. Placc. de Aug. Scient. Mor. c. 1. Text. 3. n. 47.*

(43) *Add. Mev. Inss. 3. N. 15.*

§. 15. Videamus modò, an ad dictum Paulinum 1. *ad Corinth. 11. 6.* rectè provocent, qui turpitudinem Comæ virilis ex ipso Jure Naturali repetere satagunt. Theologi, qui LL. in Sacro Codice occurrentium diversam indolem curatius scrutantur, duo potissimum *καθημερον* ponunt, quibus naturales à positivis, populo Hebræo datis, liquidò dignosci posse existimant. Primum in convenientia cum notitiis naturalibus homini concreatis: Alterum in communicatione cum aliis gentibus; quæ colligatur tum ex dictis Scripturæ, quæ de iis ad alios quoque populos porriguntur; tum ex repetitione vel explicatione in Novo Testamento, omnibus Gentibus communi. Neutrum verò hic Comæ virilis oppugnatoribus opitulatur. Non illud, quia in hoc maxime laborant Eruditi, ut disconvenientiam ejus cum principiis naturà notis ostendant, qui igitur pro concessio ad *καθημερον* Legis naturalis, in verbo Revelato repetitæ, sumi possit, vix apparet? Non hoc, quia de Lege scripta, quæ sexui virili apud Hebræos in V. Testam. tonsuram capillorum injunxit, cujusve repetitio in Novo Fœdere facta, nondum constat. (44) Neque, positâ etiam sanctione Veteris & repetitione Novi Testamenti, infallibilis Legis Universalis & perpetuæ nota exsurgit; (45) Frustra urgetur Analo-

(44) *vid. Ezech. 44. 6.*
(45) *Confer.*

gia Scripturæ; Hæc enim, si primam vocis originationem respicias, nihil aliud dicit, quàm cujusque rei similis ad aliam rem cognatam comparisonem, vel rerum inter se invicem similitudinem; quam allegata à Dissidentibus loca, si præsertim non tam ex nuda verborum structura, quàm potius ex scopo atque intentione loquentis, exacta omnium adhærentium qualitatuum indole, circumstantiarum conditione & habitu, verum vocum sensum venari velimus, nullatenus admittunt; Quamquam nec illud concedi possit, vocis naturæ famosiorem hunc in sacro Codice esse significatum, ut jus naturale indigitet; (*) Ex eo, quòd ad Corinthiorum Conscientiam Apostolus provocat, naturalis Juris præconem præcisè illum sollicitasse, non magis evincitur, quàm si quis ex Supremi Legislatoris Interrogatione Protoplastis in Horto Hedenis proposita, horumque, ante omnem interpellationem divinam, trepidatione, neglectum legis naturaliter insitæ arguere sustineat. Græciam cultiorum morum Matrem dudum deprædicavit Antiquitas, humanitatis & bonarum artium Gymnasium vocat Lactantius; Quis igitur dubitaverit, præter regulas vivendi, ex lumine naturali haustas, ex propriis inventis atque institutis, plura ad culturam morum exteriorum spectantia, in Remp. invecata fuisse, quorum testimonium præco ille internus Corinthiis perhibere, & Doctor Gentium sollicitare potuerit? Commonefactio, quæ habetur *Esa. 46. v. 8.* longè alterius generis est, quàm ut Paulinæ in hoc loco exæquari possit, prout ex contextu totius capitis, vel obiter saltem inspecto, condisci potest. Ad naturam sæpissimè provocare, qui de vita hominis rectè instituenda solliciti sunt, in vulgus notum est. Recepta verò licet ex consensu veterum & recentiorum Philosophorum ad Magisterium Juris, Naturæ, concors tamen non est sententia, quid sit naturam sequi, & quomodo sequi debeat. In quot diversas Stoicorum illud: *Convenienter natura vivere &c.* tractum fuerit explicationes, ex *Stobæo* (46) colligere licet. *Admirabile Epicteto* (47) videtur, *nosse voluntatem naturæ.* Et Cicero (48) *Mirabiliter* ait, *occulta est natura, neque perspicui aut cognosci statim potest.* Hinc Duce opus habet homo, quòd ad ea, quæ sunt naturæ, in via regia pertingat. Hujus partes sibi sumit ratio, quæ demum colligit, suggerit homini ex se ipso, seu ex mente sua, quæ sunt naturæ non vitiosæ, ad vitam justè, piè, honestè degendam necessaria. Eleganter hanc in rem *Alb. Bolognesius*: (49) ubi simul distinctionem inter ea, quæ simpliciter naturæ, & Legis naturalis esse dicuntur, supra à nobis tactam, egregiè illustrat. (50) Et hoc posteriori sensu ad naturam provocasse Apostolum, probari, non pro concessio sumi debet Quod denique urgebatur: Velamen ascititium Mulierum cum naturali ita connexum esse, ut de uno dictum subaudiendum quoque sit de altero; De isto verò Paulum loqui tanquam de signo subjectionis naturaliter mulieribus adhærentis, quemadmodum è converso caput integumento liberum in viris signum præbeat Imperii naturæ iisdem competentis, ad rem nil facit. Falsum istud præsuppositum Maetsii aliorumve dicit Revius, quòd coma detonsa signum sit naturale prærogativæ virilis: Quæ enim de operatione aut refectione capitis in præcedentibus versiculis *d. c. 11. 1. Ep. ad Corinth.* habentur,

(*) *Vid. Rom. 11. v. 24. Galat. 2. v. 15. & c. 4. v. 8. Eph. 2. v. 3. 1. Cor. 2. v. 14. Jacob. 3. v. 7.*

(46) *in E. l. 18. Diff. 18.*
(47) *L. 5 de finib.*

(49) *de Jur. & acquit. c. 18. §. 6.*
(50) *Add. Ziegl. de Jur. Maj. L. 1. c. 6. §. 48.*

tur, ratione naturali & perpetua non nituntur; (51) cum & hodiè caput detegere soleamus, non ad ostendendam potestatem in mulieres, sed potius ad testandam subjectionem erga Deum. Hinc Petrus Martyr (52) *Videtur, inquit, eâ tempestate, & in illa Ecclesia velatum caput subjectionem representasse, & apertum libertatem. Quod apud nos videtur jecur fieri. Nam caput aperimus dignioribus, & quibus nos utcunq; subjectos vel saltem obsequentes declarare volumus: & contra capitis tegumento libertatem ac potestatem indicamus: Unde agentes cum inferioribus caput non aperimus. Verum Paulus utitur Symbolis, prout ea significare apud eos reperit, cum quibus agebat.* Gemina tradit Jac. Laurentius (53) Adhæc si connexio utriusque velaminis esset inseparabilis & perpetua, sequeretur, fœminas, cum propter necessitatem aliquam corporalem attondentur, velum quoq; abjicere, & nudo, licet scabioso vertice, in publicum prodire debere. Id enim exigit connexio naturalis tegumenti cum ascitio. Quinimò, si signum Imperii eo ipso abjicitur, quo Vir Comam alit, eademque caput tegit, quod apertum esse debebat, hodiè quoque contra Jus naturale aut minimum contra Decorum agunt, quotquot uxores suas ad dexteram collocant. Ne dicamus, à nonnullis in dubium adhuc vocari, an, præcisâ sacrarum literarum autoritate, Imperium mariti in uxorem, (cujus symbolum in aperto mariti capite Apostolus collocat) ipsâ naturâ jubente, ex pacto matrimonii necessario resultet? (54)

§. 16. Non ergò ad conscientiam Corinthiorum, Jure naturali de turpitudine Comæ virilis imbutam, provocat Apostolus; Neq; ista explicatio vocabuli naturæ potior, quantum nobis constat, Interpretum hætenus tulit calculum. *Thomas Aquinas, Estius, Lyranus* Inclinationem naturalem, quæ mulieribus insit ad nutriendam Comam, subintelligere malunt. Quibus, præter alios ab hac Interpretatione discedentes, dicam professâ operâ scripsere *Rebus* (55) & *Salmasius*; (56) *tum* quia Inclinatio non sit regula recti & decori; alioquin vitium magis sectandū esset quàm virtus, eo quod ad illud quàm hanc omnes naturâ procliviores sint, *tum* quia non omnis Inclinatio sit à natura, sed plures à consuetudine exemplisve aliorum excitentur; quemadmodum ad hanc vel illam vestis formam inclinentur homines, quamdiu eam in usu esse videant, postea eam abjecturi; *tum* quod inclinatio hæc viris non minus insit quàm fœminis; uti de Incolis Insulæ, cui Formosæ nomen est, ref. D. Junius, Pastor Delphensis, nō nisi magno molimine ibi, ad muliebre Comam ponendam, viros adduci potuisse. Add. exempla eorum, qui nutritionem Comæ gravi jacturâ redemerunt, supra Cap. 2. relata. *Rebus, Borstius, Salmasius, Rivetus*, naturam, quæ discrevit sexus, subaudiunt, moti i. tx. parallelo *Rom. 1. & 26. & 27.* in quo vox *Phis* eandem vim significandi habeat: 2. autoritate *Diodori Siculi*, (57) *Josephi* (58) *Philonis* (59) aliorumve. 3. ratione: Sexum virilem & muliebre inter se comparatos docere, illum ad Imperium, hunc ad Subjectionem natum esse, & proin illi, non huic, competere insignia potestatis, inter quæ apud Corinthios fuerit caput integumento liberum. Ad sexuum discretionem excogitatas esse differentias vestium, & in specie habitû capitis quoad capillos differentem, quod hic naturam

(51) v. *Lev. 10. & 6. Conf. omnino de ritu velandi cap. in sacris Hebrais usitato Abul. in cap. 13. Lev. Geier. de Luc. Ebraor. c. 11.*

(52) ad 1. *Cor. 11.*

(53) ap. *Maets. Syl. & Qq. Insign. p. 281.*

(54) *Vid. Frieder. Horn. de Civit. L. 1. c. 1. Pufend. de Jur. Nat. & Gent. L. 6. c. 1. §. 11.*

(55) d. tr. de *Lib. Christ. circ. us. Canon. pill.*

(56) d. tr. de *Coma.*

(57) *L. 31.*

(58) in *Apion. L. 2.*

(59) de *LL. p. 535 Edit. Turneb.*

docuisse, dixerit Paulus &c. Sed & hanc sententiam multis difficultatibus premi, tum ex præmissis in §. 12. tum ex iis, quæ acerrimus Revii Antagonista Carolus Maetsius (60) prolixè regessit, colligi potest. Musculus, Hyperius, Pareus, Hemmingius, Bullingerius, Anselmus aliive plures (61) per naturam ordinem à Deo statutum intelligi volunt; Quibus litem desuper moverunt Salmasius & Revius. (62)

(60) d. Sylv.

Q. Insign. c.

23. & seqq.

(61) ad h. l.

[62] ap. Ma-

ets. Sylv. Q.

c. 17.

[63] in nor.

ad h. l. &

de Jure Belli

& Pac. L. 2.

c. 12. §. 26.

[64] alleg.

Polo ad h. l.

[65] cujus

tradita ref.

Dn. D. Ofi-

and. ad d. l.

Grot. de J.

B. & P.

(66) Sylv.

Q. pag. 175.

Calov. in

Commentar.

ad d. l.

§. 17. Hugo Grotius (63) Vir nostro encomio major, cum videret, vocem naturæ ad Jus naturale (nisi in sensu planè abusivo) in hoc loco referri non posse, aliam à prioribus distinctam Interpretationem suggerit his verbis: *Non est hoc planè naturale; sed sicuti Cui Juri Gentium sæpe dant nomen Juris Natura, ita & naturalia dicuntur, quæ non sine probabili ratione longè & latè recepta sunt.* Et rursus: *Naturaliter ponitur quandoque pro eo, quod recepti passim moris est, quomodo apud Apostolum Paulum ipsa natura docere dicitur, viro turpe esse Comam alere, cum tamen id neque repugnet naturæ, & multis apud populos usitatum sit.* Fr. Junius, (64) Revius (65) & Maetsius (66) dubiam quidem & hanc explicationem reddere conantur, partim, quia naturæ vocem pro consuetudine usurpari, inauditum sit; partim, quia ab Apostolo illa Coma subintelligatur, quæ fœminis pro velamine data est; Consuetudinem autem non dare comas, sed naturam; partim quia, hæc sententiâ stante, subaudiri debeat consuetudo vel propria, vel aliena, quarum neutra congruè à Paulo allegata fuisset.

§. 18. Utut verò hæc sese habeant, non leves pro explicatione Grotiana militant rationes. Illud quippe in confesso est, vocem Naturæ ejus latitudinis esse, maximè si usum ejus hinc inde in sacris evolvas, ut in vanum laborare videantur, qui constantem & uniformem ejus significatum obtendere nituntur. Leges verò bonæ Interpretationis suggerunt: Ubi verba simplicia, aut verborum complexio plures significationes recipiunt, assumptis conjecturis opus esse, ut genuinus sensus eruatur. Istæ quandoq; ita evidentes sunt, ut sponte se ingerant, etiam contra receptiorem verborum significatum. Sæpius ex subjectâ materiâ, ex effectu, & ex conjunctis, scopi tum generalis, tum specialis, attentione, sedulâ circumstantiarum collectione, totius textus cum antecedentibus & consequentibus accuratâ expensione, argumenta petuntur, quibus difficilius quoque locis lucem affundi, nemo nisi temerè negare ausit. Et ex his Grotius quoq; nonnulla opitulari videntur. Nam primò novum non est apud Autores, Φύσιν, s. naturam pro consuetudine accipere. In hunc sensum dictum vetus apud Galenum (67) extat: *Consuetudo adscititia est natura.* Aristoteli (68) id, quod consuetum est, velut naturâ inditum videtur. Philo Judæus: (69) *In veterata consuetudo plerumq; tantum potest, quantum natura.* Juvenalis

(67) Lib. 3.

[68] 1. Rhetor. II.

(69) de Abraham.

[70] Satyr.

13.

(71) de Offic.

sec. Im Nat.

c. 11. p. 467.

Add. Corn.

Nep. Militi-

ad. cap. 6. 1.

Franc. Bac.

de Verulam.

(70) Carula quis stupuit Germani lumina flammæ Casariam, aut madido torquentem cornu Cirro? Nempe quod hac illis natura est omnibus una; ubi naturam pro usu & consuetudine usurpari, notat Scharrock. (71) Inde est, quod, si cui legi, quæ à multo tempore obtinuit, populus assueverit, optimam eam æquissimamque judicet, & sicubi quid præter eam fiat, rejectaneum id ipsi & ridiculum videatur, dignumque, cui fides abrogetur. (72) Adeo Consuetudo longævo usu subit imaginem naturæ, ut diu consuetum ve-

de augment. Scient. L. 7. p. m. 463. (72) Vid. Herodot. in Thalia.

lut naturale fiat. Personam a. induens sub ista larva fallit variè, ut pute-
tur juris naturalis, quod est inveterati alicubi moris. Eò à] Cui trahi solet, (73) l. 16. §. 4.
quod Pomponius (73) & Paulus (74) scriptum reliquere: *Licere naturaliter ff. de Minor.*
contrahentibus se circumvenire; non quòd naturâ sic comparatum, sed quia 25. ann.
ita moris communis, ex quo velut naturale id Emptionis atq; Venditio- (74) L. 22. §.
nis factum sit. Et alibi idem Pomponius (75) scribit: *Testati & intestati natu- 3. ff. Locat.*
raliter inter se pugnam esse, h. e. ut ejusdem alius testamento, alius lege hæ- (75) L. 7. ff.
res esset; cum tamen ea regula, è moribus Romanorum profecta, aliis *de R. J.*
populis communis non sit, nec etiam apud Romanos in omnibus ob- (76) vid.
servata. (76) Quin & huc referre possis, quæ de Gentium inveteratis, *Sand. ad d. l.*
per traducem velut acceptis, & sub fucata naturalis rationis facie trans- *Schilt. ibid.*
plantatis opinionibus, tr. *Aristoteles*, [77] *Mich. de Montagne* (87) novissimè *& ad π. Ex-*
Thomas Browne. (79) *Secundò* scopus generalis Pauli, suffragante communi *erc. 38. §. 80.*
Interppr. sententiâ, non fuit, dogmata ad omnes in universum Ecclesias (77) *Probl.*
spectantia proponere, aut certum & immutabilem ritum omnibus cœi- *Seck. 18. Q. 6.*
bus, in communi quoq; vita præcisè observandum, præscribere, sed è τὰ- (78) *des Essays*
ξία & τὸ πῶς ἐστὶν Ecclesiæ Corinthiæ præ animo habuit, quod, ut pro *L. 1. c. 22.*
viribus & ex ratione muneris commissi promoveret, utile omninò fuit, (79) *Pseudo-*
non saltem καὶ ὁμορφίαν, h. e. boni ordinis & decori causa, etiam in re- *dox. Epidem.*
bus & negotiis in se indifferentibus, aliquid in commune constitui, ne ni- *si de de erro-*
mium discrepans usus dedecoraret Ecclesiam, Disputationes, & ex Dispu- *ribus popu-*
tationibus, ut sit, Schismata sereret; sed & ritus in peragendis sacris semel *laribus.*
receptos diligenter custodite, atque pruritum eorum, qui privato ausu,
sub prætextu libertatis Christianæ, novitates moliebantur, vel hoc solo:
Nos ejusmodi Consuetudinem non habemus &c. retundere. (80) Quantum ex (80) *Confer.*
Scopo-Apostoli speciali Interpretationi huic accedat adjumenti, post a- *omnino Au-*
lios sibi consentientes, dilucidè exposuit *Frid. Balduinus* [81] *Apparet hic,* *gustin. Epist.*
qualis à τὰ ξία à Paulo nostro castigetur. Viri sacra facturi astabant velati & 118. *ad Ja-*
tantum non muliebriter tectis capitibus: Gentilium Romanorum ritum, qui Diu- nuarium.
sius (excepto Saturno, Honore, Hercule) sacrificabant capite operio, obvelato, &c. (81) *in Ana-*
seque ad aures adducta: Viceversa mulieres passis capillis incedebant, & hoc mo- lys. ad h. loc.
do lasciviam non tolerandam præ se ferebant. Hoc contra decorum Ecclesiæ, *Corinth.*
qua gentilium ritum non facile imitatur, & contra morem istius gentis esse,
indicat Apostolus, dum tecta capita in viris, aperta in mulieribus reprehendit;
Nam Græci aperto capite sacra faciebant. Tertiò, ipsa substrata materia in vers.
13. & 14. ejus generis haud dubiè est, ut determinationem quoad deco- (82) *de Ba-*
rum non tam à natura, quàm moribus in quavis Republica commu- nef L. 2. c. 21.
niter approbatis, recipiat. Quo applicare possis illud Senecæ. [82] de Offic.
Multa Legem non habent, nec actionem; ad quæ Consuetudo vita humana, (83) *de Offic.*
lege omni & aentior, dat aditum. Hinc Scharrok. [83] Si quædatur, num- sec. Jus Nat.
quid de hoc habitu (sc. crinis) natura peculiariter jubeat? Respond. Nihil pecu- c. 11. Num. 1.
liariter jubeat, sed perinde se habere circa hunc atq; alios & estendi ritus &c. Joh. (84) in Com-
Coccej. [84] Certè constat, non omninò & simpliciter nefas esse, longos capillos ment. ad h.
gestare. Dn. Cancell. D. Osiander: [85] Regulariter Viri etiam apud Judæos l. §. 29.
alebant Comam, & non nisi in luctu deponebant, ut constat ex Esai. 15. & 2. & [85] Th. Cas-
Mich. 1. & 16. quapropter adhuc erit indifferens prolixiores habere Capillos, vel Part. 2. c. 15.
mi. p. 1527.

(86) in Diss.
de Velam. ca-
pit. viril. 6.
1. §. 12.
(87) Vid. Bec-
mann. Lin.
Doctr. Mor.
cap. 17. §. fin.
Eisenbart.
Inst. Jur. Nat.
in Mor. Phil.
Doctr. repræ-
sent. cap. 10.
§. 3. Chr. Tho-
mas. Einleit.
zur Sittenschr.
o. 2. §. 104.
& seqq.
(88) loc cit.
(89) Q. 2. ad
h. l. Corinth.
(*) in Bibl.
Gloss. Germ.
ad h. l.
(90) N. Test.
Gathol. Ex-
pos. Eccles.
ad h. l.
(91) Comm.
ad h. l. Diss.
18.
(92) in not.
Angl. ad h. l.
(93) Judic.
de Comap. 1.
(94) Hom. 56.
in h. l.
(95) de J. N.
& G. L. 2. c.
3. §. 9.
(96) d. 17.
Inst. 2. N. 8.
(97) d. Diss.
o. 1. §. 13.

minutos pro ratione *status*, conditionis, loci, temporis, sanitatis, & aliorum ac-
cidentium. Consent. Florentiss. in patria Gymnasii Rect. & Prof. Meritissi-
mus, Avunculus Honoratiss. Dn. Eberh. Rud. Roth. [86] Et generaliter,
vestitus decorum corporisve ornatum, cum primis ex more gentis & lo-
ci consuetudine, censendum esse, tradunt Scriptores Moral. [87] Quam
variè habitus crinis virilis in Sacris, pro diversâ personarum conditione,
aliarumve circumstantiarum qualitate, depingatur, ex locis supra pas-
sim productis satis constat. Et huic Grotianæ explicationi, in comple-
mentum probabilitatis, accedunt omnium ferè Ordinum Viri Erudi-
tissimi. E Theologis supra laud. Frid. Balduinus: [88] *Hac omnia intelli-
genda secundum Consuetudinem istius temporis atque loci, quo Paulus scribebat.*
Idcirco provocas ad proprium Christianorum iudicium, quibus ista Consuetudo
non potuit esse ignota. Natura itaque Apostolo hic idem est, ac istius temporis
locique Consuetudo, quam alteram naturam vocant. Idem [89] porro scribit:
Certum est, Apostolum respicere ad Consuetudinem istius populi, ubi aperto capite
sacrificabatur, quem morem in Christianorum Sacris multo magis observari vo-
luit. Christ. Chemnit. *ibid.* Hackspan. Miscell. Sacr. L. 1. c. 9. §. 2. Jung. quæ
ex B. Megalandronostro refer. Abrah. Calovius (*) August. Marloratus,
[90] Alphonsus Salmero, Toletan. Castalio. [91] Henricus Hammondus
[92] (cujus tradita, sermoni Latino donata, Optimi cujusdam Fautoris be-
nevolentia inspicere licuit) Polyander: [93] Gualterus, [94] Adstipu-
lantur quoque Pufendorf. [95] Mevius [96] laud. antea Avunculus no-
ster Dn. Roth. [97]

§ 19. Qui ad vocem publicam hîc provocant, & juxta superius in
§. 9. exposita, ex morationum Gentium populorumve exemplis naturæ
placita colligere satagunt, vix habent, ubi pedem tutò figant. Quæ enim
aliàs modo isti, explicandi cognoscendive Juris Naturalis, difficultates ad-
hærent, eò arctius in præsentî materiâ premunt, quò minus circa hunc
æquè ac alios rei vestiariæ ritus instituta moresve populorum inter se
conveniunt, suisque peculiaribus rationibus, ut nunc tonsura, mox lu-
xuriantes capilli reciperentur, innixi, difficilem reddunt selectum, quid
pro naturali, quid pro merè positivo & civili Jure haberi mereatur. Quin
nec res succedet, si præcisè Rebus publ. præ cæteris morationibus, è qua-
rum LL. aut Scriptoribus testimonia pro confirmando Jure naturali pe-
tere solenne est, adhæreamus. Utut enim una præ altera, quoad censu-
ram morum magis celebrata, cultum politionum rituum latius sparserit;
vix ullam tamen constanti proposito, aut ratione perpetuò validurâ per-
motam, habitum crinis uniformem recepisse & custodisse, ex præmissa
Tractatione Historica apparet; ut adeò argumentum veritatis ab eo,
quod omnibus aut melioribus saltem probatur, **repetere**, cultumve
Capillitii à natura præscriptum ostendere, æquè operosum,
si non impossibile, reputari debeat.

Plura hâc vice ob temporis & chartæ angustiam
addere non licet.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA,